

V
B J
C

Krasomowcy Orator Isokrates od Athenskie[go] Senatu
wziął czerwonych złotych pułtrzecia tysiąca insze za iedne
oratią drugi ~~[illegible]~~ podobnej sławy krasomowca Gorgias Leontinus
tak wiele nabrał podarunkow za pewny
a trzeci Szlachcic Polski Dominicus nie cału niegospeski

~~Oratio~~

Subtim perse

W sławnych Athenach był krasomowca Isokrates
któremu za iedną oratią dał athenski senat puł
trzecia tysiąca czerwonych złotych drugi zaś kraso
mowca Gorgias Leontinus tak wiele nabrał poda
runkow za pewny że tak wielką statuę złotą iako wiel
ki sam był wylał y na wieczney sławy postawił w kości
le Delphie a trzeci polak niegospeski podmarszałek od
wszystkiego senatu wziął dwadzieścia tysięcy czerwo
nych złotych za te wiersze Si bene te tua laus taxat sua laude
carebis cui se tanto fortitudine fecit wyście które
na wszystkich czytać się mogą żadney nie odmieniając potrzeby
y za chwyc o ieden tysiąc a pozwien wiaysz


VINDEX VERITATIS REUS

D. CONSTANTINUS SCHUTZEN
Min: Ged:

Libello contra SCRUTINIUM VERITATIS *edito*
Anno 1685.

DECLARATUS.

Per
R. P. IOANNEM FRANCISCUM HACKI
Societatis IESU
Theologum.



POSNANIÆ,
Typis Collegii Societatis JESU
Anno 1688.



1.

Stat geminus celso VOMER porrectus Olympo,
Plurima nam per Te messis in astra venit.

2.

Non manibus, non bobus arat, Tibi VOMER adactus,
Sponte refert Lechico commoda rara Solo.

3.

Non uno radiat Tibi VOMERE Stemma: laborat
Sarmatiæ gemino VOMER uterq; Solo.



AD

ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM

DOMINUM

D. BONAVENTURAM

DE NIEDZIELSKO

MADALINSKI

EPISCOPUM VLADISLAVIENSEM & POMERANIÆ.

Dominum & Patronum Beneficentissimum.

ITerùm se sistit Veritas Tuæ Celsitudini, ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRÆSUL. Stetit ante in sui Scrutinio Romanæ Patrona Fidei, nunc in Vindice cum Reo consistit. Neque poterat tutiùs alibi, aut æquiùs consistere, quàm in Tuo Paterno foro, & æquissimo Consistorio; neq; commodiùs de objectis se se vindicare responsis, quàm sub Tuo Illustrissimo Patrocinio: quam ut in

Tua Diœcesi, contra hostiles insultus pro virili Te Duce, Te Patrono propugnarem, etiam è Martis nuper arena, repetitis ad Eminentissimum Opitium Pallavicinum S.R.E. Cardinalem, id temporis Apostolicum, ad Sereniss. Regem D.N. Clementissimum, Regnumq; Poloniæ Nuntium evocabar. Rea proinde in Auctore suo ad Tuum spectat, & appellat tribunal, quia in Tua Diœcesi: & Reum agentem, & degentem producit adversarium; quem utpote suæ integritatis reum, meritò accusat ipsa & pronuntiat. Immo ultrò Tuum conspectum amat, ambit judicium; probè conscia, non æquiorem se posse nancisci Arbitrum, neq; potiorem causæ Patronum, præterquam Te, cujus mentem æquitas, animum possedit Religio: cujus Illustrissima Domus, tot acerrimis Orthodoxæ Veritatis assertoribus inclyta, solos amat Veritatis amicos & Pietatis. Pulsent aliarum Postes ædium, terantq; atria Placentini; Tuarum Inquilina Veritas solis pandit ostia Veronensibus, i. e. addictis suo Nomini. Et certè novit intimè Polonia, quantum Nobilissimæ Prosapiæ Tuæ, *amicus sit Plato, sed magis amica Veritas.* Placet Vir quisq; Eruditus, sed assentator displicet: Sapientia cordi est; sed fucus dolusq; odio. Hinc ubi cæteris *odium parit Veritas*; Domi Tuæ amorem gene-

generat; contra quidquid, Primæ potiſsimum adverſatur Veritati. Sanè ut Nobilitas MADALINIANO Sanguini, ita Virtus pectori cognata eſt; unde utroq; inſignis ille Clementiâ Principum, Civium amoribus, Regni honoribus, ſed imprimis Cœlitûm favoribus è meritò gloriatur.

At potiſsimum Merita Tua fama Regni celebrat; ſubjectus Pontificio pedo populus pietatem prædicat. Zelum Romana probat cenſetque Religio; Diœceſana ſuſpicit, tantoq; magis venerabundá æſtimat, quantò Te defeſſum annis, indefeſſum animo, magiſq; virtute provectum, quàm ætate conſpicit. Equidem nos ipſi, quos minima IESV Societas, in obſequium Eccleſiæ Celſitudiniſque Tuæ devinxit Magneticâ, quia in tanto Magnate rara, Virtute Tuâ trahimur in æſtimationem, pariter & amorem; imò rapimur, atq; in eam provocamur mentem, vt virtutem creuiſſe Tecum, paſſu tamen ſenſim feliciore cum ætate progreſſam, vitæ tandem momenta prætergreſſam credamus. Id profectò nobis inſignia Merita Tua, de vtraq; ſacro-Civili Republica luculenter teſtantur. Tibi enim verò ſalutem Patria noſtra, Regia in tribus Coronatis Capitibus Maieſtas amorem: Tibi Religionis augmentum Pomerania, fervorem Pietatis Vla-

dislavia, restaurationem, nitoremq; utriusq; Ecclesiæ, debent: Maturis scilicet Patria Consilijs, fidissimis Majestas obsequijs, Probatissimo Pomerania zelo, Pientissimo Vladislavia Animo; Benefico demum æri Sacræ Aræ, ædesq; Mirantur in Te alij insignem in promovendis Fidei Catholicæ rebus prudentiam; innatum alij Diuini cultûs amorem, dexteritatem agendi alij, plenum alij Pietate pectus, mentemq; in bonum commune pervigilem: nos cumulatam, atq; omnem propè virtutem in Te suspicimus; & *quæ divisa beatos efficiunt in Te* Vnum *collecta* fluxisse intuemur. Planè illud Divinioris Oraculum Paginæ impletum in Te credimus, *Veritas de terra orta est*; sed quam Gentilitij Vomeres Tui eruerunt, nimirùm Veritas Orthodoxæ Fidei, de Pomerana terra, Te Actore, & Auctore secundo post Superos eruta est, atq; etiam nunc eruitur, & *Iustitia de cælo prospexit* ad spectandum Pietatis Tuæ zelosissimæ triumphum: amplum enim operosæ Virtuti Tuæ campum Pontificia dignitas per utramq, obtulit Diœcesim. A Rosis illa hactenus Rozrazevianis, bonum se Christi odorem traxisse, atq; eum longè lateq; diffudisse gaudebat; à limatissimis jam Tuis Vomeribus etiam splendorem in se Illustrissimum derivatum gloriatur. Atq; hæc

Veri-

Veritas Tuo amica Nomini, & Pectori, ad Te divertit ANTISTES Religiosissime; quanquam Peregrinantis est, aut Hospitantis divertere: incolam illa agit, Tuis in ædibus nunquam ab aula exul, nunquam peregrina à pectore. Supplex itaque sistit se in Præsentia Celsitudinis Tuæ, ut sub auspicijs, auxilijsque Tuis, icta de adversario se vindicet, ut quod omni conatu, studioq; intendit, eum sibi Romanæq; fidei devinciat. Quare ubi facilem Domesticæ aditum, aurem supplici præbueris, etiam eum, qui illam ad Te dirigit, ad Præsuleæ Venerationem Celsitudinis pari pronum admitte animo. Vt verò Dissidentium in animis locum amoremque inveniat; omnem de Paterna manu effunde Benedictionem, atq; eo affectu, quo Veritatem amas, etiam ipsum opus pro Veritate certans, Vindexq; læsæ veritatis prosequere; ita qui sanguine ac Dignitate Illustrissimus inter Cives Patriæ refulges, aucto Virtutum Meritorumq; splendore, inter Cœlites post sera fata Serenissimus refulgebis. Id quod intimè precatur ac vovet

ILLUSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS VESTRÆ

Devinctissimus ac humillimus in Christo
Servus I. F. H. S. I.

FACVLTAS

CVm Opus, quod inscribitur Vindex Veritatis, *à P. Ioanne Francisco HACKI, Nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate mihi factâ ab A.R.P. nostro Thyrso GONZALES, præfatæ Societatis Generali Præposito, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si ijs ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei testimonium has literas manu nostra formatas, & sigillo munitas dedi Gedani 25. Febr. Anno 1688.*

IOANNES HERMANNI




Præpositus Provincialis Societ: IESV, per Poloniam. mpp.

APPROBATIO.

Imprimatur. Ged. die 13. *Martii.* 1688.

IOANNES GEORGIVS KVNIGH, V.I.D.

Vladisl. Plocens. Canonicus, Officialis Gedan: & Pomeraniæ Generalis mpp.



Ad Lectorem.

PRæmisso amore Veritatis, & animarum zelo
Scrutatore Veritatis, tanquam Prodromo, 12
Postulata omnibus Dissidentibus inter se, atq; â Romana
Catholica Ecclesia: Neo-Evangelicis proponente, ipsum
Scrutinium Veritatis fidei Typis vulgari, duo-
decim Discursibus prima parte inquirens, an non uni-
versarum à Romanâ Catholicâ Ecclesiâ atq; inter se
Dissidentium hujus temporis Religionum ex uno omni-
um principio, quod scilicet solum Verbum Dei
scriptum exclusá Catholicæ Ecclesiæ Au-
ctoritate, sit Regula, norma, Iudex fidei,
nullitas manifestè deducatur? Secunda verò parte,
Veritatem solius Romanæ Catholicæ Ecclesiæ & fidei Causa hujus operis
stabiliens. Contra hoc opusculum meū aliqui linguas;
D. CONSTANTINVS SCHVTZIVS præter lin-
guā etiam calamū exacuit, edito Libello cui Titulus Ca
tholica Fides simplici & Laconico stylo vin-
dicata adversus Asiaticum Scriptorem, [ita
me per contemptum vocat indignum judicans Authoris
Nomen & Cognomē apponere] Scrutinij veritatis,
pro agnoscenda face & gnomone Apostoli-
ca solâ prophetiâ per CONSTANTINVM

SCHVTZEN Miniſtrum Evangelij. I.C. Dantiſci Anno 1683.

Huic, ipſa veritatis æquitas exigit, vt reſpondeam, quod hactenus quidem biennio ex voluntate Superûm & Superiorum obſequio Spirituali ſub auſpicijs SS. D. N. INNOCENTII XI. in Caſtris Sereniſsimi Regis Poloniarum Domini mei Clementiſsimi diſtentus præſtare haud fuit liberum. Nunc nonnihil negotioſe literarum otio redditus ad libram veritatis *expenſis diſcuſsiſq; reſponſis variorum datis* Scrutatori Veritatis *. venio ad reſponſa, ipſi* Scrutinio veritatis *adverſantia, quorum hoc ſigillatim, quod præ manibus habemus cenſoriâ ipſius veritatis Regulâ notandum. Nam examen quoddam Scrutinij veritatis fidei editum à* D. SAMVELE SCHELGVIGIO *non meretur reſponſionem, 1mo. quia non tam examē, quàm vexamen potius dici debet, ac propterea 2do. providâ Nobilis Magiſtratus Gedanenſis curâ eſt ſuppreſſum ac ſuper illud diſputatio publica prohibita. 3tio. quia ſola nonniſi prologomena antingit. 4to quia à Perilluſtri & A R* D. LVCA MARKIEWICZ. *Parocho Wiecborgienſi nunc & Canonico Camenenſi, ad meliorem trutinam eſt revocatum, atq; refutatum 5to. quia credimus Examinatori ſuffecturam Libram Veritatis*

ritatis, quâ ejusdem responsa fusiora Scrutatori Veritatis data, ponderamus. Ea porro quæ dictæ trutinæ reposita sunt, ad Argivam egregiè calumniantium ac sine fronte convitiantium Scholam remittimus.

Quantum itaq; ad D. CONSTANTINUM SCHUTZIUM, neq; is se se cohibere potuit, quin, dum veritatem defendendam sibi propositam habuit; in eandem sæviret; quia constãter vel è sua nuncupatione enumero illorum se se demonstravit, quos describens Regius vates, exacuerunt gladium linguas suas intenderunt ut arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum [nimirum Ecclesiam quæ sine macula atq; ruga, ejusq; filios & assertores.] id quod ex dicendis infra patebit. Psal. 63.

Quia verò huic suo operi, ad confutandum Scrutinij Veritatis prima principia, in fronte libri præfixit Tertullianum Confessorem veritatis atq; ex eodem sententiam præmisit ex lib: de præscriptionibus contra Hæreticos Capitis septimi juxta Iacobi Pamelij notationem, quod Caput incipit: Nobis curiositate opus non est post Christum &c. statuemus eundem in medium hic breviter & alias fusius si Deo cordi fuerit vindicem & assertorem huius veritatis Catholicæ, quod videlicet non alia Catholica Ec-

clesia, quàm Romana: quæ velut Magistra & interpres Verbi Dei, docet, proponitq; fideliter ea, quæ credenda, agendave, quæve non credenda, non agendave, adeoque non eam esse Lutheranam, aut quamcunq; aliam ex ijs, quæ nunc sunt sub sole Dissidentium Neo Evangelicorum: ac proinde teneri respondentem cum sua Ecclesia ad hanc verè Catholicã, quæ est Romana, accedere iterum, à qua ánte centum, & quod excurrit, annos, in suis Majoribus prô dolor! exivit; ni velit Hæreticus ac planè reprobus esse & dici. Suffecerit in præsentiarum (tertium enim dum planè hisce incumbimus ad Charitatis Religiosæ Officiũ in Christiano bello evocamur) Authorem Responsi vindicem, sua opinione Reum Veritatis, judicio omnium bene sentientium veritatemq; cordi habentium declarasse; non ut nos ipsi victores videamur, neq; enim vanam auræ gloriolam captare lucubrationibus nostris intendimus, sed solùm ut quemadmodum D. Ambros: ait, de Christo, eligente Piscatores in Apost: ut Veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret, adeoq; ut orbi palam fiat verissimum esse illud effatum, quod semper magna est veritas & prævalet, quæ ut & de Vindice nostro, pluribusq; alijs filijs hominum qui sub illius speciosa imagine diligunt Vanitatem, & quærunt mendacium trophæa sibi erigat ad eorundem salutem æternam, Deiq; majorem gloriam.

VIN-



VINDEX VERITATIS REUS DECLARATUS.



Uatuor solùm phyluratum scripto, absq; distinctione Capitum, Paragraphorum, numerorum, Paginarum, Scrutinium nostrum Veritatis fidei refutasse se existimat Respõdens, & Vindex sua opinione Veritatis, eo ipso, quia in eo, nulla est pagella, quæ plurimas ignorantias Elenchi, adeoq; Propositiones extra statum Quæstionis atque paralogismos, quin & pseudologias, Matæologias, crimina falsi & cætera id genus personam tangentia continent. Nos more nostro sine aculeo, etsi interdum cum acuminis stimulo nostras Vindicias aggrediemur, & ad certa capita totum reducendo negotium absolvemus.

CAPUT I.

Præliminaria breviter percurruntur.

I. IN ipsa fronte tituli, suam Lutheranam vocat *antiquam & Catholicam Fidem*, circa quod animadverto.

1. Quòd Tò *antiquam* videtur esse supervacaneum junctum

cum

Rectenè Luthrana vocetur antiqua fides. cum Tò *Catholica* nam Tò *Catholica Fides* includit Tò *antiquam* è sensu SS. PP. quos inter Vincentius Lirinensis in commonitorio contra profanas Hæreseum novationes Cap. 3. & antep. ait. *In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus quod vbiq; quod semper, quod ab omnibus creditum est: sed hoc demum ita fit si sequamur vniversitatem, antiquitatem, consensionem &c.* Unde omnis Catholica fides, est antiqua fides; etsi non omnis antiqua sit Catholica, nisi fortè non solùm antiqua sit, sed & habeat *universitatem, & consensionem.* Nam antiqua dici potest Cerinthi, Ebionis, & aliorum Hæreticorum primæ ætatis fides; sed quia nec universitate, nec consensione gaudent, non possunt dici verè Catholicæ Cùm itaq; suam Ecclesiam vocet *Catholicam*, ad quid insuper addit esse *antiquam?*

Fides antiqua quæ Catholica.

2. Ostendo in vanum præmisisse suam Ecclesiam esse *antiquam & Catholicam:* Nam ex eodem Lirinensi quid sit antiquum? manifestè patet, cùm ait: *Antiquitatem verò ita* (supple sequemur) *si ab his nullatenus recedamus, quos Sanctos Majores & Patres nostros celebrasse manifestum est* & Cap. 41 recapitulando dicta ante ait. *Item diximus in ipsa Ecclesiæ vetustate, duo quædam vehementer studioseq; observanda, quibus penitus inhærere deberent quicunq; Hæretici esse nolint. Primùm si quid esset antiquitùs ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus vniversalis Concilij auctoritate decretum. Deinde si quæ nova exurgeret quæstio ubi id minimè reperiretur, recurrendum ad SS. Patrum Sententias, earum duntaxat, qui suis quiq; temporibus & Locis in unitate communionis, & fidei permanentes Magistri probabiles exstitissent. Et quidquid uno sensu atq; consensu tenuisse invenirentur id Ecclesiæ verum atq; Catholicum, absq; vllo scrupulo judicaretur.* Et infra ait tractans de Concil: Ephesino quòd *in illo Patrum sententiæ congregatæ sint, vt secundùm eas, Authoritate Concilij Ecclesiasticæ fidei Regula figeretur.* Idque

ut

ut paulò post ait, *Catholicissimum, felicissimum, atq; optimum factu visum est, ut in medium, Patrum sententiæ proferrentur.* Iam autem reflectat se respondens, an in ijs, qui sunt controversi cum Eccles. Rom: Cath: articulis, recurrat ad SS Majores & Patres nostros? an ad decreta universalium Conciliorum? Quia si ad hæc recurreret eo ipso admitteret Magistram authoritatem Ecclesiæ Catholicæ. Atq; eo ipso facilè concluderetur eum cum Lirinensi & nobiscum verè Catholicæ fidei alterum præter S. Script. tenere fundamentum. Quibus cùm oppositè teneat, quâ fronte, amabo! in fronte libri posuit suam Ecclesiam antiquam & Catholicam.

In ipso Titulo vocat Scrutatorem Veritatis punctivè *Asiaticum Scriptorem*; sibi verò *Laconicum stylum* attribuit, ut se scilicet superiorem stylo coram ignaris eruditi styli jactitet verùm non latet viros in politiori literatura versatos, stylum hunc proscriptum olim fuisse ab Eloquentiæ Palatio per Caligulam Imper: vocantem eum *arenam sine calce* Cicero quoq; testatur *neminem Lacedæmonum ad sua tempora Oratorem fuisse.* Addo verissimum illud Horatij etiam ipsum Respondentem sibi applicare posse: *Laconicus stylus proscriptus ab Eloquentiæ palatio.*

Dum brevis esse laboro
obscurus fio: (& eadem brevitate) *Sectantem grandia nervi deficiunt animiq;.*

III. In eodem Titulo Libri addit *pro agnoscendâ face & gnomone Apostolicâ solâ Prophetiâ* Oportebat ut edissereret hanc Parabolam.

Ergone Lutheranæ Ecclesiæ fax & gnomon Apostolica, seu Regula, norma & judex fidei est sola Prophetia? at ubi confessio Augustana? aut quis unquam Lutheranorum Prophetiam solam dixit & docuit esse normam fidei dictam? *Sola Prophetia non rectè statuitur pro Regula fidei.*

Novi benè passim eos dicere S. Scripturam prout scilicet com-

complectitur Vetus & Novum Testamentum, adeoq; non solam Prophetiam, sed etiam Tora seu legem, Historias & Doctrinalia; esse Regulam & normam fidei, sed non solam Prophetiam. Novam proinde noster Vindex simplici & Laconico stylo suæ Ecclesiæ Regulam fidei affingit: quod an sint approbaturi apud illosmet Doctiores? ipse viderit, sed de hoc ipso recurret infra sermo XI.

IV, Initio ait *Scrutatorem Veritatis, vexandi studium quod meritò exprobratum fuit prolixis chartis denuò commendasse, utiliùs locaturus operam, si domi res suas agat.* An vexandi studium in illo fuerit? an merito exprobratum? sat superque perpensum librâ veritatis; operam verò suam haud utiliùs locare potest, quàm si ad Domum Ecclesiæ Christi ejusdem desertores animo pacato studiosè invitet.

Scrutator Veritatis haud oppugnet talem. V. *Desperatæ causæ hoc proprium est veritatem oppugnare inverecundiâ, & errores premere verbosis contortisq; quæstiunculis.* His omnibus pseudologijs, & cavillis alijsq; præcedentibus credo satisfactum, *Regiâ via Libráq; veritatis.*

Ejusdem inanis cavillatio. VI *Nimis ambitiosâ Eloquentiâ ILLVSTRISSIMI OPALINIJ Episcopi Culmensis, in promovendis Ecclesiæ rebus, zelum ita deprædicat, vt Deo penè nihil relinquat.* Hyperbolen dum Scrutatori objicit, an non ipse magis ementientem superjectionem, quin ejectionem proscriptionemq; veritatis eloquitur?

CAPVT II.

Judicium Vindicis de prima præfatione Scrutinio Veritatis præfixa examinatur.

I. GEminâ inquit Vindex *præfatione vtitur, alterâ ad Lectorem, alterâ ad Dissidentes; in vtraq; id agens, vt datâ operâ turbet Lectorem, & fallat Religionum miscellâ* At fallitur opinione suâ, quia præoccupato affectibus & judicijs animo

mo easdem legit. Non enim ut turbet, fallat, & seducat; sed ut è turbis & falsò præconceptis opinionibus educat Dissidentem Lectorem, geminam præfationem præmisit.

II. *Inde sibi optimum statuit Exordium à calumnia, caduceum Sectis omnibus prætulisse antesignanum Lutherum scribens &c.* Non certè calumnia, at veritas est, *caduceum prætulisse præterito sæculo omnibus antesignanum Lutherum* assumpto scilicet uno eodemq; principio fidei, nimirum *solam S. Scripturam esse Regulam normam ac judicem fidei exclusâ Ecclesiæ Catholicæ authoritate*: quod sibi & Zuinglius, & Calvinus, & Socinus, & Menno, & Quakeri, & cæteri appropriârunt. Quocunque zelo *Lutherus varios Hæreticorum errores, editis etiam Libris confutavit*, non ideò eos sustulit; quia in *eadem navi* cum illis unius ejusdemque principij *navigabat*, ut proinde oppositi illi dicere potuerint *væ tibi væ nigreæ dicebat cacabus ollæ*: Quin eundem docuisse portentosos & damnandos errores ex Theologis Academiæ Rintellensis deduco in libra veritatis. *Nec verò ideò antesignanus Hæreticorum erit quia eisdem temporibus orti sint, qui falsa docerent*; sed quia illo sæculo nullus ante illum alijs, tam amplam monstravit viam, solam Sacram Scripturam pro norma, Regula, & judice fidei habendi, Ecclesiæ Catholicæ authoritate repudiata. Ex quo principio occasionem sumpsêre, æq; alij ac Lutherus nova dogmata condendi. *Quare Apostoli minimè Hæreticissimi dicendi, ad quorum prædicationem falsi fratres exstiterunt, qui Evangelio abutentes disputabant &c.* Neque enim eisdem talis principij authores erant, cui infundabant suas disputationes, & falsas doctrinas; hi enim Evangelio juxta sensum illius tum temporis Ecclesiæ ab Apostolis traditum non credebant, sed juxta propriam interpretationem, quæ utique juxta S. Petrum non fit propria interpretatione, *prout nimirum suus cuiq; est author animus*, ut ait D. Augustinus; sed Ecclesiæ. Atq; ideò *perniciosissima dogmata publicè audiebantur*. Ideò nec

Lutherus antesignanus, caduceum alijs sectis prætulit assumpto principio quod sola S. Script. sit regula fidei.

Apostoli tunc antesignani erant, nec causa errorum Apostolica prædicatio. Atq; ideò *idem de temporibus Lutheri judicatum est; Nimirum Luthero reformationis felicitatem seductorem spiritum* non tam invidisse, quàm promovisse corrupta mente Reformatorum, illo Principio scilicet *Evangelium purissimè restituendum fore,* si sola scriptura in Regulam & judicem fidei assumatur, repudiata Ecclesiæ Catholicæ authoritate. Quod ipsum Principium cum cæteri & à Luthero primo reformatore & à Romana Catholica Ecclesia dissidentes sibi appropriârint, factum est, ut *quod purissimè docebat Evangelium* Ecclesia Romana Catholica, Lutherus malè *restituebat, per alios pessimè perverterit seductor spiritus.* Ergonè *hic parum candidè egit Scrutator?* Ergone *falsis criminationibus proximum suum obruit &c?*

Vindiciis pseudologiæ temerarium judicium Scrutatoris.

III. Sed inquit *quemadmodum primum momentum victoriæ suæ collocavit in calumnia, ita alterum in vana gloria.* Transgreditur Resp. simplici & Laconico stylo mandatum Domini. *Nolite judicare & non judicabimini* Matth. 7. 1 *Tu quis es qui judicas alium?* Rom. 2 *Iusta judicate Filij hominum.* *In quæstum* ait *conversa & devotio erga SS. Trinitatem & in pompam ludicram.* O excellens convitium! nec minor excellentia in atro calculo notatis *Paupertatis, castitatis & obedientiæ votis* Religiosi statûs! Arridet verò Authori nescio quæ in Societatem nostram nauseantis stomachi effusa *exprobratio Markiewicij;* qui eo ipso in Catalogo ejusmodi Scriptorum reponi elegit quorum prohibiti libri vel ad ionum Campi Floræ affiguntur, vel damnantur ad rogum Vulcani. Cæterum hos suos præfervidos animi & calami motus displicuisse sibi palam orbi fecit; quando coram districto Iudico comparituras ad reddendam etiam de omni verbo otioso rationem morti vicinus Cracoviæ aliquot è Societate nostra Patres ad se invitavit, in illorumq; persona totã Societatem, non sine lacrymis, deprecatus est, dolens se ali-

Excellens ejusdem convitium.

quid

quid unquam adversùm Societatem exarasse. Non moror cætera quæ sequuntur.

IV. Non vult suam Ecclesiam & doctrinam vocari *Neo-Evangelicam*; cum tamen Lutherus exprcsse *doctrinam suam* vocet *suum Evangelium, suum verbum, suam causam, suas partes* Tom. I. Wittenb per Zach. Leheman Anno 1582. Epist. ad Conventum Iutterbor. fol. 288. Tom. 2. per Laurentium Swenck, 1562. Ep. ad Georg. fol. 488, & cont. Script. Reg. Angliæ fol. 495. & sequ. & plurimis alijs locis. Deinde cũ Lutherus sit *Author novæ, non instaurator antiquæ Religionis*, id quod fusè probo in libra veritatis, nullam me injuriã facere credo Lutheranis, quando illos voco Neo Evangelicos. Adhæc & Reformati, & Socinistæ, Mennonistæ, & Quakeri deniq;, haud volunt dici Neo-Evangelici, quia idem inquiunt, quod Vindex de Luthero, quod scilicet *non aliud Evangelium acceperint & doceant*, quàm illud ipsum, quod ex *codice Sacro legit Romana Ecclesia* Nova deinde dogmata aggerit Rom. Ecclesiæ, sed cum fallacia, ignorantiæ Elenchi, seu status controversiæ in plerisq;, atque in ijs quæ etiam à *Parochis Parisiensibus* exprobrata, dicit, Societati.

Lutherani cum alijs novis sectis rectè Neo Evangelici dicuntur.

CAPVT III.

An sola Prophetia sit Gnomon Apostolica seu Regula, norma, & Iudex fidei ex S. Petro?

PRincipium illud fidei Lutheranum uti & aliorum Dissidẽtium Neo Evangelicorum, quod scilicet *sola Scriptura est, exclusa Ecclesiæ Catholicæ Magistra authoritate Regula interpres, & judex fidei*, contendit vindicare illo dicto S. Petri Ep. 2. cap. 1. 19. *habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi Lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Infertq; *exinde non* ait, *habemus Rom. Ecclesiæ Magistram* authoritatem. Sed nihil evincit.

 1. Quia

1. Quia his verbis S. Petrus non ait, *habemus Propheticum sermonem scriptum:* Status autem quæstionis est inter nos de Regula & Iudice fidei: an scilicet *Verbum Dei Scriptum solum sit Regula fidei?* an non & verbum Dei *non scriptum* per sermonem scilicet, seu *ore traditum* ab Apostolis, spectet ad Regulam fidei?

S Petri textus ex 2. Epist c. 1 19. explicatur.

2. Cùm S. Petrus utatur Tò *sermonem*, videtur innuere verbum Dei non *scriptum*, sed *ore traditum*: propriè enim sermo significat oris locutionem; & aliud quid est sermo, aliud scriptura; illud oris; hæc manûs & calami adminiculũ seu operationem requirit. Quod ipsum videtur declarare sequentibus; quando ait, quòd *Spiritu S. inspirati locuti sint Sancti Dei homines*, signanter ait *locuti sint, non scripserint.* Et quamvis immediatè ante meminerit & *Prophetiæ scripturæ*, quod non fiat *propria interpretatione*; duplicem tamen exinde videtur indicare *prophetiam*, alteram quidem scripto, alteram verò ore prolatam; adeoq; videtur nostram Catholicam Doctrinam firmare de Regula fidei, verbo seu sermone, partim videlicet *scripto*, partim *non scripto.*

3. Hoc, loco S Petrus per *propheticum sermonem*, non accipit universim totam Sacram Scripturam veteris & novi Testamenti, quoad omnes libros; quam tamen sic spectatam Dissidentes suæ fidei Regulam statuunt. Nota etenim est divisio librorum S Scripturæ utriusq; Testamenti secundùm Hebræos apud Hieron. in Prolog. Galeat: in Danielem; in tres partes scilicet: *in legem, in Prophetas, in hagiographa*, apud Galatinum autem in quatuor. 1. *In Legales* aliàs hebraicè *Tora* dictos. 2. *Historiales.* 3. *Sapientiales dogmaticos*, seu *doctrinales* 4. *Prophetias.*

Quomodo igitur concludit Respondens S. Scripturam ex hoc loco probari esse regulam & normam fidei, cùm hic solius prophetiæ fiat mentio?

4. S. Petrus hîc dum meminit prophetici sermonis, non

cogi-

cogitavit de universa scriptura tanquam Regula, sed de solo prophetico sermone Prophetarum prædicentium, ipsum Christum Dominnm. Nam ut advertit S. August. serm. 27 de verb. Apost. c. 4. apud Cornel. à Lap. in h.l. hic vocatur propheticus sermo non *melior*, non *verior*, sed *firmior* scilicet oculari visione & auditione illius vocis cœlo delapsæ. *Hic est Filius meus dilectus &c.* de qua ante dicebat, *& hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto*, idq́; ideò quia licet claritas illa & gloria Christi æquè ac vox de cœlo delapsa esset revera Divina & manans à Deo Patre; tamen potuerunt Iudæi similesq; calumniatores, tam vocem quàm claritatem Magicis artibus aut fabulis attribuere, uti similem vocem Patris ad Christum tribuerũt tonitruo. Ioan. 12. 19. Hoc autem de sermone prophetico, concesso quod esset Prophetarum, uti concedebant, dici non poterat. Quid igitur hic locus habet ad Regulam fidei probandam, solam S. Scripturam universim? cum is de Christo D. procedat.

5 Deniq; dato non concesso, quòd etiam hic intelligatur *Regulám fidei esse Sacram Scripturam*, nondum sequitur hoc loco à ratione Regulæ activæ, seu regulantis, adeoq́; interpretis, explicantis, applicantisq́; illam Regulam pasivam S. Scripruram ad Regulata, seu articulos fidei ipsam Ecclesiam Catholicam excludi, quin omnino illam admittendam esse patet, vel ex eo, quia S. Petrus addit paulò post.

Hoc primum intelligentes, quod *omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit*: ex illa enim hæreses oriuntur, ut docent Ss. Patres à me citati Scrut: verit: fid: P 1. p. 17. quodsi propria non fit interpretatione; ergo alienâ, seu alterius distincti à Scriptura. At quis ille erit? non privatus quiscunq;: quia huic tribueretur quod propria privata id interpretatione faciat; ergo Ecclesia Catholica: quæ id etiam non propria privata interpretatione facit; sed ipsius S Spiritûs

ritûs assistentis, qui illi à Christo D appromissus *usq; ad finẽ mundi* & qui illam docere debet *omnem veritatem* sic enim & interpretatio scripturæ fit ab Ecclesia, Spiritu S. inspirata, quemadmodum eadem, *non* (ut concludit S. Petrus) *voluntate humana* allata est, sed *Spiritu S. inspirati locuti sunt S. Dei homines*. Atqui hæc ipsa Ecclesia Catholica non est alia quàm Romana, uti probatum à me in Scrutinio, & hic probabitur & in Regia via. Ergo nihil pro se nec contra nos evicit hoc loco respondens vindex, adeoq; manifestè veritatis reus deprehenditur.

CAPVT IV.

An S. Scripturam accusemus? dicendo, causam hæresum esse si intelligatur & explicetur non juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ.

Sacram Scripturam non accusamus dicendo causam hæresum esse, si intelligatur non juxta sensum Ecclesiæ.

EX eo porro quod concludamus dictum Dissidentium Principium esse falsum, & causam errorum: quia illud cæteri heterodoxi sibi appropriant: arguit me *S. Scripturam accusare, Verbo Dei suam gloriam detrahere*; verum his verbis ostendit se meam mentem haud penetrasse: accuso enim non scripturam; sed eos qui eam, exclusa authoritate Ecclesiæ Catholicæ, pro unica fidei norma statuunt, nec Verbo Dei sed abutentibus illo gloriam detractam velim. Nunquid Ss. Patres & Doctores Ecclesiæ accusant S Scripturam dum intento velut digito ostendũt ex inde hæreses oriri, quia scilicet illas ut Hilarius ait *pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione suscipiunt* l. 2 de Trin: Et D Hieron. *Marcion, Basilides & cæteræ Hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium &c. Nec putemus in verbis scripturarum esse Evangelium; sed in sensu, non superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis, &c. alioquin & Diabolus qui*

loquitur

loquitur de scripturis & omnes hæreses secundùm Ezech. 13. 18. *inde sibi consuunt cervicalia quæ ponant sub cubito universæ ætatis &c. Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne fortè interpretatione perversa de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium, ac quod pejus est, diaboli*; in Com. ad Gal. Vel ut D. August. ait: quia hæretici Sacras *scripturas bonas intelligunt non benè, & quod in illis non benè intelligitur etiam temerè & audacter asseritur* Tract. 18. in Evang. vel ut D. Chrisost ait: quia *si de Divinis Scripturis aliquid Hæretici loquuntur ad cupiditates suas torquent* in Psal. 118. Uude verò hoc ipsum nisi quia Ecclesiam interpretem & Regulam activam explicantem & applicantem Scripruram tanquam regulam passivam ad Regulata scilicet articulos fidei contemnunt! *proprio judicio* condemnari malunt quàm intellectum suum, *captivum ducere in obsequium fidei* quod eos docet Ecclesia Catholica, Magistra & S, Mater fidelium. Id quod omnes Dissidentes faciunt, adeòq; ipsi potiùs arguendi sunt, quod *Verbo Dei suam gloriam detrahunt* quam sartā tectam servat Ecclesia Catholica, atq; eidem obedientes. Huc planè servit illud D Hieron. *Sola Scriptura ars est: quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant* ep. 103. ad Paul. Et D. August. *Terentianū Maurum sine magistro attingere non auderes &c. tu in eos libros* [S. Script.] *sine duce irruis?* quis autem melior illorum Magister, qui te doceat; quis melior Dux qui te manu ducat? atq; S. Mater Ecclesia? Hinc D. August tantus Doctor de se ipso ait: *ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Authoritas &c.* Cont. Epist. fund. c. 55.

CAPVT V.

An seria Dei sit voluntas, vt in terris aliqua sit Ecclesia extra quam salus non detur.

Dubi-

DUbitat Vindex in examine 2dæ nostræ præfationis. Etenim vult sibi & alijs demonstrari

Num velle seriò ut sit qua Ecclesia, extra quā salus non detur, haud dubitandum.

1. *Quænam vera sit Ecclesia?*

2. *An serta Dei voluntas sit vt in terris aliqua sit Ecclesia extra quam salus non detur?* sed ad primum Respondemus scrutinij 2. parte & in Regia via.

Quoad secundum, non modicè miror quod dubitet. Id enim tam è Sacris literis, quàm ex SS. Ecclesiæ PP. fusè & manifestè demonstrari potest. Nam in primis ad quid Deus ad Filium suum in carne dixit. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* Psal. 2. 8. nisi ex hac hæreditate & possessione faceret sibi *populum acceptabilem sectatorem bonorum operum* in uno Ecclesiæ suæ corpore, tanquam viva membra existentem, qui illi *occurrant in virum perfectum, in ætate plenitudinis Christi*, idq; confirmat S. Augustin. Tom 7. de unitate Ecclesiæ cap. 3. 6. 7. 8. 9. sigillatim, cap. 8. ad prædicta Psalmi verba ait. *Quis enim Christianus unquam dubitauit hoc de Christo esse prædictum, aut hanc hæreditatē aliud, quam Ecclesiam esse intellexit?*

1. Petri 3 20 Ecclesia comparatur Arcæ tempore diluvij, sicut enim illâ *pauci i. e. octo animæ salvæfactæ sunt*, ut ait S. Petrus: ita in hoc mundo nullus salvari potest, nisi sit in vera Ecclesia. Utuntur hâc similitudine SS. Patres Cyprian. in Epist. 74. 75. 76. Hieron. lib. 1. cont. Iovin: & Dial contra Lucifer. August: lib. de unit: Ecelef. c. 5. Cyril. lib. 3. sup. Gen. & alij SS PP. dicto sensu verba S. Petri explicant. Quin & ipsi Protestantes hâc utuntur comparatione, Perkinsius in Symb. col. 781. *Arca* illa inquit, *extra quam interibant omnes, Typus fuit Ecclesiæ extra quam qui sunt, damnati sunt omnes.* Consentit Danæus lib: de visib: Eccles. pag. 168. Sadeel ad sophismata Turriani loco 5. p. 529. ex Chrysost. Musculus in cap. 8 pag. 230.

Ad hæc, Ecclesia vocatur in Script: *Regnum Dei, Regnum Christi,*

Christi Lucæ 1. & 17. *Corpus Christi* Eph: 1: *hæreditas Christi* 2. 8. item 27. 32 cujus immediatè facimus mentionem; *Civitas Dei* ps: 45. & 86. Matth: 5. Hebr: 12. *Domus Dei* 1. Tim: 3. *Templum Dei* 2. Cor: 6. *Hierusalem cœlestis mater nostra* Gal: 4. ut nimirum agnoscamus non dari salutem extra Ecclesiam, quia non datur extra Regnum Dei & Christi, extra corpus Christi, extra hæreditatem Christi, Civitatem Dei, Domum Dei, Templum Dei, deniq; extra Hierusalem cœlestem matrem nostram. Hæc eadem Ecclesia vocatur *Societas filiorum* Dei 1. Cor. 1. sicut ergo extra hanc societatem non possunt esse & dici filij Dei, ita neq; extra illam salvari: quia nemo salvatur nisi sit Filius Dei. S. Paulus quoq; testatur, quòd qui non habet charitatem sit extra statum salutis. cum ait 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum nihil mihi prodest.* Jam autem qui non est in veritate Ecclesiæ non habet charitatem, dicente D. August: *Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt vnitatem* lib: 3. de Bapt: c: 16. eadem habet Tr: 6 in Ioan: & lib: de unit: Eccl: c: 21. & lib: 2. cont: crescen: c: 13 & 14. ac per consequens, qui non diligunt unitatem Ecclesiæ nihil sunt, nihil illis prodest ad salutem, adeoq; sunt extra statum salutis.

Insuper veritatem hanc SS Patres plurimis locis tam claris & disertis terminis confirmant, ut mirum sit circa illam vindicem dubitare. Irenæus lib: 4. c: 62. *iudicabit.* inquit, *omnes eos qui sunt extra vnitatem* i e. *qui sunt extra Ecclesiam* & sup: *Iudicabit autem & eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamq́; utilitatem potiùs considerantes quàm vnitatem Ecclesiæ.* Cyprianus lib: de unit: Ecclesiæ. *Quisquis ab Ecclesia separatus ad vetera iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur,*

tur, nec pervenit ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Idem epist: 49. *Quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsa Christi, atq; in eius Ecclesia non est?* Id: ep: 73. *Salus extra Ecclesiam non est.* Id: ep: 61. *nemini salus nisi in Ecclesia esse potest.* August: lib: 4 de symb ad Cathech: c: 13 *propterea hujus conclusio Sacramenti per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absq; ea inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Item in hæc verba symb: Ecclesiam Catholicam* statim init. Item lib: 4. de Bapt: c: 17. *salus extra Ecclesiam non est: quis negat? & ideò quæcunq; ipsius Ecclesiæ habentur extra Ecclesiam, non valent ad salutem.* It: conc: de gestis; *cùm Emerit* (salutem) *non potest habere in Ecclesiâ Catholica; extra Ecclesiam Catholicam totum potest habere præter salutem. Potest:* enim *fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica potest salutem invenire.* Id: ep: 152. *Quisquis ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet se vivere existimet, hoc solo scelere quòd à Christi vnitate disjunctus est non hacebit vitam, sed ira Dei manet super illum* It: Ep: 204. *Foris ab Ecclesia constitutus & separatus à compage veritatis & vinculo charitatis æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris:* plura apud eundem, vide lib: 1. de Bapt: c: 8 lib: de unit: Eccl: c: 19. Tr: 26. 27. 45. in Ioan: serm: 11. de verbis Domini & alibi frequenter.

Fulgentius quoque lib: de fide ad Petrum c: 39 *firmissimè tene,* inquit, *& nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. baptisatum, si Catholicæ Ecclesiæ non fuerit aggregatus, quantascunq; eleemosynas fecerit, & pro Christi nomine etiam sanguinem*

guinem fuderit nullatenus posse salvari. Simile habet c: 30.

Gregorius M. lib: 14 moral: c: 2. *Sancta universalis Ecclesia prædicat, salvari veraciter nisi intra se non posse* &c. *at contra hæretici, qui etiam extra ipsam salvari se posse confiduat.*

Quid his & similibus testimoniis SS. PP. clarius? Eccur. igitur vindex dubitet. *An seria Dei voluntas sit, ut in terris aliqua sit Ecclesia extra quã salus non datur*; ubi enim dabitur si non intra aliquam Ecclesiam? Reum se hic veritatis vindex ingenuè fateatur sine ullo fundamento contra S. script: & SS. PP. manifestum sensum dubitans.

Plura hic demum intermiscet Laconico ut vult stylo i. e. arenam sine calce ut taceamus aculeos, *luxuriosum dicendi genus* nostrum punctivè vocando, *infeliciter nos ratiocinari* confingendo. Sed his nolumus immorari, quæ merè sceptica sunt, nec ad rem quidquam faciunt.

Multa adducit ibidem ex non bene perspecta vel dissimulata mente nostra, ut est quando erit quod *negemus definitionem dogmatum peti posse ex Scripturis, potius inde hæreses oriri.* Signanter utiq; diximus. Definitionem, seu probationem, dogmatum peti posse, quin debere ex sacr: scrip: idq; tanquam fidei Regula at non juxta propriam interpretationem & sensum, intellectâ & explicatâ, sed juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ: & inde asserimus *oriri hæreses*, quando id non fit. Hincq; concludimus infallibilem judicem esse Ecclesiam Catholicam, quæ non alia quam Romana, ut probatum est in scrutinio & probatur in Regia via. Ad ea, quæ de S. scripturis adfert Matth: 4. 6. 7, de Christo D. & Diabolo & Act: 18. 11. 12. respondimus in libra veritatis. Quæ porro ibidem adducit sunt meri parologismi & fallaciæ ignorationis Elenchi.

Definitio dogmatum ex scripturis peti debet sed juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ intellectis.

CAPVT VI.

An D. Ioan: Chrysostomus senserit quod sola S. Scriptura exclusa Ecclesiæ Catholicæ authoritate sit norma & Iudex credendorum.

VT probet solam S. scripturam esse *normam credendorum ex consilio & destinatione Dei exclusa Ecclesiæ Catholicæ* authoritate adducit duo testimonia ex S. Chrysostomo.

Primò ex Tomo II. p: 3686. succus rei his verbis exprimitur. *Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusioue similitudinis nisi tantummodo per scripturas.*

Secundò ex Tomo III. p: 227 ubi S. Doctor ostendit *gentilem aliquem si vellet fieri Christianus, non alio quàm ad scripturas esse ducendum ut cognoscat veram Ecclesiam*: sed utraq; hoc loco nihil contra nos evincit. nam.

Per sacram scripturam optimè probari Ecclesiam veram Catholicã docet Chrysostomus.

1 Status quæstionis est, *an sola scriptura S. sit norma credendorum* & quidem ut addit vindex *ex consilio & destinatione Dei exclusa Ecclesiæ Catholicæ authoritate.* Hæc autem verba S Doctoris nihil habent *de Regula fidei*, nihil *de consilio & destinatione Dei.* nihil *de exclusione Ecclesiæ Catholicæ.* Hinc.

2 Verus & genuinus verborum illorum S. Doct: est sensus, nimirum recurrendum esse ad scripturas, ut probemus *quænam sit vera Ecclesia in tanta præsertim confusione similitudinis scilicet*, tot tamq; variarum hæresum, & schismatum, quarum quæq; dicit se habere Ecclesiam veram: qualibet se à Christo dicit Christianam: sic enim

nim reperiet Ecclesiam Catholicam non hæreticam probari per scripturas; quæ utiq; testantur Ecclesiam debere esse *visibilem*, debere esse *per totum orbem diffusam*; debere per *successiones construi*: quæ omnia S. Doctor probat & demonstrat diversis locis librorum suorum, ut vel ex indice alphabetico ejusdem Tomorum patet, quò remitto brevitatis gratiâ lectorem, Atq; hinc facilè erit dignoscere Ecclesiam veram & Catholicam â falsa & hæretica: hæc enim omnia nullo modo possunt competere Ecclesiæ falsæ & hæreticæ. Quod ipsum confirmatur ex S. Augustino qui plurimis ex scriptura S. Testimoniis comprobat *Ecclesiam* esse *veram Catholicam*, quæ simul & ejus Tomis collecta videre est in confessione Augustiniana lib: 1. c: 6. § 5. Item Hieronymus in confessione Hieronym: Tomo 1 c: 5. § 6. Idq; rationem dat D. August: cur S scripturæ clarius testantur de Ecclesia quàm de aliis fidei articulis etiam de Christo Domino. *Vere dico*, ait, *charitati vestræ, certè omnes Christiani sumus, vel Christiani omnes dicimur, & omnes Christi signo signamur, obscurius dixerunt Prophetæ de Christo quam de Ecclesia: puto propterea, quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas excitaturos contentiones ideò illud vnde majores lites futuræ erant planiùs prædictum, & apertiùs prophetatum est, ut ad iudicium illis valeat, quod viderunt & foras fugerunt*. in psal: 30. conc: 2. Unde patet & D. Chrysost: his locis solum tractare de sola Ecclesia Christi vera & Catholica, quod illa optimè probari possit per scripturam; non autem loquitur de omnibus universim & absolutè fidei articulis: ad quos probandos non tantum scriptura, sed & ipsa Ecclesia magistra est necessaria, ita ut sine ea etsi

ex scriptura quidpiam probare velimus, facilè tamen errare & falli possimus ob malè intellectum sensum scripturæ.

Tertiò. Dictis locis S. Doctor docet Ecclesiam optimè probari per scripturam, sed non quomodocunq; intellectam nec à quocunq; explicatam. Etenim causam hæreseon assignat hanc præcipuam quòd scil: *Si loquuntur aliquid de Divinis scripturis ad cupiditates torquent.* Verba sunt ejusdem Tom: I. in psal: 118. m. f. 470. item primo loco citato ait expresse, *sunt hæreses, quæ mendacia sua quodammodo scripturarum colorant authoritatibus?* Et paulò post. *Domus autem hæreses, quæ scripturarum tolerantur exemplis, quamvis non sint domus veræ, tamen videntur,* & in ser: ait *eis non credendum nisi ea dicant, vel faciant quæ convenientia sunt scripturis:* Item Tom: 2. in Matth: c: 7. sum: 13. f: 355. comparat mysteria fidei *Margaritis quæ in profundo scripturarum latent.* Unde ait *nec omnis homo potest descendere in altitudinem sensuum & illic invenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis, qui habet exercitationem spiritualium narrationum Dei.* Item Tom: eodem in eundem locum Matth: hom. 18. in f: 336. *& infideles quidem & non timentes Deum invenient scientiam legendo* (supple scripturas) *& studendo; sed non illam quæ ex Deo est quæ per Spiritum S. datur &c.* unde addit *Quærite interrogantes sacerdotes, cæterosq; habentes scientiam spiritualium scripturarum, sicut præcepit lex: interroga Patrem tuum, & dicet tibi, seniores tuos, & annuntiabunt tibi.* Et huic quidem præcepto satisfacit Ecclesia Cathol: Rom: idq; semper fecit etiam in Conciliis recurrendo ad SS. Patres & Doctores Ecclesiæ. Item Tom. 5. orat: 8. in f: 729. vehementer in Arianos invehitur, *cur tu, ait, tuis vocabulis abolitis tuarum cogitationum & conceptuum*

Causa hæreseon quod S. scripturæ sensus torqueatur & pervertatur S. Chrysostomus.

ceptuum commenta profers? ex his igitur patet S. Doctorem voluisse ad probandam Ecclesiam veram, ut recurratur ad scripturas, sed non quomodocunq; nec à quocunq; v. g. ab hæretico, aut imperito intellectas & expositas. Sed ab eo qui *habet scientiam spiritualium scripturarum* qualis est Ecclesia in SS. Patribus, & conciliis & unanimi consensu.

Quartò. S. Doctoris in dictis locis mentem non fuisse, ut absolutè statueret S. scripturam esse *Regulam & interpretem credendorum ex Dei consilio, & ordinatione exclusa Ecclesiæ Catholicæ authoritate,* manifestè deduco tum ex immediatè dictis, ubi vult interrogandos *sacerdotes* cæterosq; *habentes scientiam spiritualium scripturarum &c.* Quales SS. Patres Ecclesiæ, & concilia quæ repræsentant Ecclesiam, atq; à Romana Ecclesia acceptantur, quæ tanquam principium præter S. scripturam, alteram fidei Regulam, scilicet activam regulantem, atq; judicem credendorum constituunt, quo sensu à cæteris heterodoxis reijciuntur. Tum quia S. Doctor manifestè docet præter sacram scripturam tenendas & credendas esse traditiones Tom: 1. homil: in ps: 118. in f: 470. Tom: 2. hom: 52. in f: 181. Tom: 4. in epist: ad Philip: c: 1. serm: 3. ad fin: m: f: 497 Tom: ibid: 4. in ep: ad Thess. 2. cap: 3. m: f: 613. ibidem in 2 Tim: 1. v. 13. hom: 3. in f: 670. ibid: com: in Epist: ad Thess: 2. c: 2. hom: 4. in f: 611. Quæ omnia loca à nobis citantur fusius in D. Chrysost: à Lutheranismo vindicato controv: 2. de traditionibus. Suffecerit saltem ultimum locum innuisse, ad illa verba D. Pauli. *Fratres tenete traditiones* &c. *hinc est,* ait, *perspicuum quod non omnia tradiderunt Apostoli per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quæ sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoq; traditionem censeamus esse fide dignam.*

Dari traditiones Ecclesiæ probatur ex D. Chrysost.

Est

Est traditio, nihil quærat amplius. Unde sic argumentari licet. Qui docet *Apostolos etiam sine scripturis multa quæ sunt fide digna tradidisse. atq; traditionem Ecclesiæ esse fide dignam;* ille docet S. scripturam non esse ex *Dei consilio & dispositione*, Regulam & normam fidei exclusa Ecclesiæ authoritate. Atqui D. Joannes Chrisostomus docet *Apostolos sine scriptis multa quæ sunt fide digna tradidisse, traditionemq; Ecclesiæ esse fide dignam.* Ergo D. Joannes Chrysost: docet solam Sacram scripturam non esse *ex Dei consilio & dispositione* Regulam & normam fidei exclusa Ecclesiæ authoritate. Argumentum est evidens. Non igitur quidquam evicit vindex authoritate D. Joan: Chrysostomi præterquam, quod contra semetipsum arma subministraverit ex eodem S. Doctore, adeoq; ipse vindex factus sit reus peccati in semetipsum.

Romanæ Ecclesiæ Doctores haud loquuntur contra S. scripturam nec totis viribus agunt, ut eam supprimant

Egregia vindicis convitia & cavilli.

Quintò. Hinc nec quicquam ad rem faciunt, quæ deinde dicit, ut quod *Romanæ Ecclesiæ Doctores contra S. scripturam loquantur totisq; viribus id agunt, ut eam supprimant,* hoc enim nunquam probavit respondens. Quin id agunt, ut vel maximè sua scripturæ authoritas integra sit, ex communi videlicet unanimiq; consensu Ecclesiæ, non ex privato cujusq; sensu, quo *suus cuiq; author est animus, quid in quâq; scriptura probet, quid improbet, per quod hæretici hoc agunt, ut omnis de medio scripturarum auferatur authoritas.* Verba sunt D. August: Tom: 9 Tr: 18. in Evang: *Hoc nobis* inquit porro (ut cæteros ejus paralogismos ex ignorantia elenchi prætercam) *demonstrandum esse quòd scripturæ illo sensu, quo eas interpretatur Rom: Episcopus acceptæ veræ sint etiamsi textui illi manifestè vim inferant.* Negatur enim suppositum à respondente. Et quæ illa *impertinens interpretatio dictorum scripturæ* nescio cujus? *Petrum & ejus successores esse Dominos Ecclesiæ & ter-*

& terrarum &c. Quid hic facit illa criminatio? Sed *mera fraus est, & à prætextibus agitur.* Nec verò *circulum* demonstrat. Catholicos committere, quando Ecclesiam *Catholicam Romanam* probant *per scripturam, & hanc per illam* : quia id alio modo fit. Ecclesiam enim probant per scripturam, tanquam per id, cui immediatè propter se tanquam principio per se verò assentitur intellectus: Scripturam autem probant per Ecclesiam tanquam per id, cui non immediatè propter se, nec tanquam principio per se verò assentitur intellectus: de quo aliquid attactum est à nobis, in scrut: verit: fidei. part: 2. p: 199 Illud verò quod à nobis requirit. *Eccur si Ecclesia Romana est infallibilis scripturarum interpres; perfectissimum commentarium in universas scripturas non ediderit, cui infallibiliter sit insistendum in explicandis scripturis.* Respondemus id quod in libra veritatis ad quæsitum 10. Iudicij Reformati super scrut: veritatis; quod nim: Ecclesia Romana pro perfectissimo commentario habet, eum quem legere est in SS. Ecclesiæ Patribus & Doctoribus, præsertim. Basilio, Chrysost: Ambros: Hieron: August: Gregorio &c. neq; enim præsumit è proprio sensu illas interpretari; sed è recepto atq; de manu in manum tradito à Patribus filiis sensu, & sententiâ. Demonstrat illa, ipso effectu, quòd S Chrysost: sup: cit: præmonebat, nempe *interrogandos sacerdotes cæterosq; habentes scientiam spiritualium scripturarum.* Sibi quoque dictum putat illud: *Interroga Patrem tuum & dicet tibi, seniores tuos & annunciabunt tibi.* Ac proinde nè latum unguem ab hac SS. PP. interpretatione scripturarum sibi recedendum credit: adeò ut in Concil: Triden: sess: 4 eum *qui S. scripturam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat; pœnis statutis à jure puniendum decreverit.* Hinc & in

Ecclesia Romana commentarium perfectũ habet in SS. PP. & Doct: Ecclesiæ.

ſcholis non alio, quàm SS. PP. commentario utitur, nec in eo quoad res fidei jam deciſas & declaratas pro fidei Articulis à tota Eccleſiâ credendis contradictio datur, quidquid ſit quòd quoad ea quæ nondum declarata, poſſit aliqua contradictio intervenire.

CAPVT VII.

Præter S. ſcripturam tanquam Regulam, debere omnino dari Regulantem proponentem Iudicem fidei Eccleſiæ Catholicæ, idq́ʒ Romanam. nec admiſſo hoc principio, quicq́uam à nobis contra ſcripturam S. doceri declaratur.

1. SUam porrò viam quâ procedunt Diſſidentes in rebus fidei vult declarare, quia ſcilicet inquit *credimus ſcripturas eſſe Verbum Dei, quod nobis claris & perſpicuis verbis loquitur ea quæ ad ſalutem creditu neceſſaria ſunt*: Propoſitio hæc, etſi nondum clara & perſpicua ſit, interim tamen pacis & concordiæ gratiâ conveniat inter nos illam majorem eſſe veram. Non quærimus id quod ſubinfert Vindex: *unde certi ſumus ſcripturam quam habemus eſſe Verbum Dei*? hæc namq; quæſtio eſt planè, ſimplici ac Laconico ſtylo loquendo: arena ſine calce; non enim nectitur cum prima, de qua tamen tot verba incaſſum facit; adeò, ut erumpat in eam pſeudologiam, ut dicat *quod nos Iudicem in propria cauſa conſtituamus Romanum Epiſcopum ſupra Deum & ſcripturam*: additq; *quod nemo non videt*, ita planè non alius quàm qui nihil videt luminis orbus. Quis unquam apud nos tam blaſphemus exſtitit? quod id falsò

Sacra ſcriptura hoc vel illud in particulari creditu neceſſarium non ſemper claris & perſpicuis verbis loquitur.

id falsò imponatur nobis; certè non id ideò verum eſt, & luce meridiana clarius, ut id *nemo non videat*. Non igitur hoc quærimus, ſed hanc minorem ſubſumimus. Atqui *Verbum Dei ſcriptum hoc vel illud in particulari claris ac perſpicuis verbis loquitur* v. g. Myſterium SS. Trinitatis, de omouſio ſeu conſubſtantialitate filii Dei &c. *quodad ſalutem creditu eſt neceſſarium?* de hac propoſitione quærimus. quibus, & quo loco nim. claris ac perſpicuis verbis, id Verbum Dei ſcriptum loquatur? ſiquidem quodcunq; allatum fuerit, illud aliter explicatur à Sociniſtis, Menniſtis, verbo, negantibus Trinitatem Perſonarum, & Divinitatem Filij Patri conſubſtantialem, & hanc dicimus non poſſe aliter reſolvi niſi per ipſam Eccleſiam, quæ velut magiſtra veritatis à Spiritu S. edocta, nos informare & docere debet de vero ſenſu & intelligentia verborum ſcripturæ, ex quibus prædicta myſteria deducuntur. Id quod ipſe tandem utp: non obeſæ naris inſinuat adducens ex ſcrutinij noſtri pag: 193. & ſeq: integrum quod inibi ponimus argumentum? quo adducto ſibi appropriato ſimplici & aculeato, Laconico dicere debebam ſtylo, imponit ſcrutatori, quod datâ *operâ velit fucũ facere incautioribus*. Quia inquit, *hoc probare debebat Eccleſiam Romanam eſſe eandem, quæ eſt Catholica, & ille hoc ſupponit tanqnam certum*. Verum apparet noluiſſe animadvertere ſerio & ſincere ad vim noſtri argumenti, quod hoc utiq; ordine procedit. Nim: *Illud eſſe credendum quod Deus revelavit veritas prima verbo ſuo*, addo pacis gratia etiam ſcripto. *Illud* autem, *revelavit, quod revelaſſe docet, & proponit Eccleſia Catholica explicans nobis Verbum Dei ſcriptum, per Concilia, SS. Patres, & unanimem conſenſum fidelium*. Et quia quæri poſſet quænam ſit illa Eccleſia Catholica? tum primum obviando quæſtioni, de-

Unde indiget Ecclesia Catholica explicante & proponente.

ni, descendimus, ad ostendendum quòd hæc Ecclesia Catholica non sit alia quàm Ecclesia Romana, eamq; talem esse firmis probavimus argumentis & inibi, & alias insuper probabimus. Quis hic *datâ operâ fucus factus incautioribus*? quo pacto hic *supponimus id tanquam certum & apud omnes confessum*, quanquam deberet omninò esse apud omnes confessum, sed quia apud Dissidentes non est; ideò præmissâ specie, nimirum: Ecclesiâ Catholicâ, tum primum probamus individuum nempe Romanam esse illam Catholicam, quam inquirimus Ecclesiam. Unde ulterius quando credimus aliquem articulum fidei, credimus, non propter hoc præcisè principium, quia *Ecclesia Catholica docet Deum hoc revelare*, ut contra nos confingit Resp: Sed propter duo principia, ut toties repetitum in scrutinio verit: fidei: Primum immediatum per se notum, & propter se verum, quia *Deus veritas prima revelavit*: secundum mediatum, per aliud notum, & propter aliud verum; nimirum, quia *Ecclesia Catholica* [quæ utique propter *antiquitatem*, ac *consensionem* non alia quàm Romana] Deum revelasse docet ac proponit.

Quæ est Romana.

Propositiones aliquæ à vindice contra principium fidei Catholicæ allatæ refutantur.

II. Ex hac nostra Catholica in rebus fidei argumentandi ratione, contendit vindex absurdum & inconveniens eruere, subjunctis subsumptæ minori, ad illam majorem: *Quicquid Deum revelasse Eccles: Rom: intelligit & confitetur, veritas prima revelavit, & credendum est.* Subsumptæ inquam minori huic, sed *Ecclesia Romana intelligit & confitetur Deum hoc illud revelasse*, subjunctis novem propositionibus hisce quæ sequuntur.

1. *Papam judicare omnes & judicari à nemine.*

2. *Papam excommunicare posse Magistratum suo judicio hæreticum, & absolvere subditos à juramento fidelitatis & transferre imperia.*

3. Me-

3. *Methodum dirigendæ intentionis, & hujus subsidia æquivocationes, reservationes esse, dogmata scholæ Christianæ.*

4. *Hoc non obstante quod Christus dixit, Edite & bibite, tamen in Ecclesia recipiendam esse, & retinendam communionem sub una specie.*

5 *Dari purgatorium, licet scriptura asserat beatos esse mortuos qui in Domino moriuntur. à modo jam &c.*

6 *Quanquam juxta Paulum unus est mediator Dei & hominum, tamen plures alios esse adjungendos.*

7 *Deum esse invocandum solum, sed tamen etiam Angelos & Sanctos demortuos.*

8. *Filios filiasq; invitis etiam parentibus posse ingredi monasterium; aut*

9. *invitis quoq; Parentibus eos posse inire Matrimonium.* Hæ sunt propositiones quas subsumit Vindex tanquam absurdas, dicitq; quòd *Ecclesia Romana intelligit & confitetur Deum hasce revelasse.* Sed fallitur opinione sua. Ubi enim hæ propositiones prout jacent, in Concilio Tridentino tanquam à Deo revelatæ credendæ fidelibus sunt propositæ? arguerem hic si me Christiana ac Religiosa modestia permitteret vindicem imperitiæ, quod nesciat, quid verè presse ac propriè doceat Ecclesia Catholica Romana; aut si scit; impotentis animi aut veriùs malitiæ, quòd contra scientiam, adeoq; & conscientiam audeat talia suis persuadere, nobis imponere, quæ à Catholicis Romanis haud docentur, aut alio quàm ipse proponat, modo ac sensu, unde non merentur hæ illius propositiones, ut ad illas respondeatur. Breviter tamen dico

Ad 1. Credimus omnes Catholici *Papam judicare omnes*; quoad spiritualia; quo ad temporalia verò; quale illi dominium adeoq; judicium competat disputatur in scholis, tanquam res minimè fidei universalis.

Ad 2. *Papam excommunicare posse suo & Ecclesiæ judicio hæreticum convictum.* Quid absurdi id credere? cùm id semper in Ecclesia sit prædicatum, & spectet ad bonum Ecclesiæ regimen ordinemq;. Absolvere autem posse subditos à juramento fidelitatis, & transferre imperia, non est articulus fidei Catholicæ, sed disputationis scholasticæ.

3. Propositio spectat etiam non ad dogmata fidei, sed disputationis scholasticæ

4. Propositio formata est ex malè intellecto Concilio Constantiensi, ideò prout jacet falsa est, nec docetur à nobis.

5. Etiam prout adfertur falsa est, supponit enim à nobis doceri contra S. scripturam, quod *est falsum, quod autem beati sint mortui in Domino morientes* non tollit purgatorium. Non enim dicimns, maledictas & damnatas esse in purgatorio animas; quin dicimus esse beatas inchoativè, quia in via sunt ad illam beatitudinem æternam, ad tempus justo Dei judicio ante visionem beatificam detentæ, pœnis purgatorij, ut *sic tamen quasi per ignem* ut ait Apost: (per quem ignem intelligunt purgatorium SS. PP. Aug: post enarr: in ps; 3 & serm: 48. Ambr: in 1. cor: 3. Hieron: in cap: 4. Amos: orig: hom: 12 in Jerem:) purgatæ & salvæ factæ efficiantur dignæ faciem Dei beatam videre in perpetuum.

6. Similiter ex malè intellecto vel dissimulato statu quæstionis est formata, ideò prout jacet negatur à nobis tanquam falsa, non enim dicimus Sanctos in cœlis esse mediatores, ut est unus Christus Jesus, sed solùm dicimus esse intercessores pro nobis apud Deum & ipsum Mediatorem unum Christum Jesum.

7. Nihil in se absurdi continet, modò sano sensu

acci-

accipiatur: alirer enim Deum ſolum, aliter SS. Dei amicos in cælo invocandos, aſſerimus. De quo vide noſtrum D. Chryſoſt: à Luther: vindicatum.

8. Denique & nona, eodem vitio quo ſexta & alia laborat: ac propterea negatur à nobis.

CAPVT VIII.

An poteſtas Papæ impediat, quo minùs Eccleſia Catholica præter S. ſcripturam ſit proponens articulos fidei.

OPtarem ut Reſp; pacato animo legat Authores noſtros, nec ſuperficialiter, ſed animo penetrandi quid verè è mente Eccleſiæ totius doceamus & tunc melius ad veritatis normam formabit has & ſimiles propoſitiones, agnoſcetq; non eſſe *faſcinum*, ea quæ nos dicimus; neq; *nos ea crimina quorum ipſi rei ſumus.* (ut ille confingit non ſine boni hominis immutione ampliſſima) *inurere aliis ut odia ampliemus, favores minuamus.* Unde etiam & cæteræ quatuor ejus propoſitiones quas ex Corp: juris Canonici adfert de poteſtate Summi Pontificis & Sedis Apoſtolicæ eidem, cui priores ſubſunt judicio. Etenim cum illæ propoſitiones non ſint in ullo concilio ac ſigillatim ultimo Tridentino declaratæ ab omnibus credendæ, non habentur à Catholicis pro articulis fidei Catholicæ, à Deo revelatis, tanquam credendis univerſaliter, ſed ſolùm habentur pro dogmatibus juris Canonici. Spectat enim ad filios Eccleſiæ, non diſcolos, ſed morigeros, ut de Pontifice, quem utiq; ſuum caput, Paſtorem, ac Patrem agnoſcunt, omni meliori modo ſentiant. Unde illæ propoſitiones in ſano ſenſu

Vindicis cavillatio.

Aliæ item quatuor propoſitiones de poteſtate Papæ refelluntur.

acce-

acceptæ, & intellectæ, nihil in se absurdi continent. Quid enim absurdi in hoc, quòd à *sæculari potestate, nec ligari prorsus, nec solvi possit Pontifex*: Neq; enim seculari potestati claves ligandi, atq; solvendi sunt traditæ, sed spirituali, neq; secularium est, immiscere se in res spirituales, multò minùs judicium aut potestatem sibi assumere ligandi aut solvendi summum Ecclesiæ Pastorem. Unde Justinianus Imperator in authent: c: 12. 3. ait *si Ecclesiasticum negotium sit nullam communionem habento Civilis Magistratus cum ea disceptatione sed Religiosissimi Episcopi secundùm sacros Canones negotio finem imponunto.* His similia leguntur de Constantino M. Imper: Rom: apud Sozom: lib: 1 c: 8. Cùm Constantius Imperator filius Constantini M. Imper: primas ambiret Athanasius & Osius graviter hoc perstrinxerunt. Sic Athan: in Ep: ad solitarios. *Si judicium Episcoporum est, quid cum eo commune habet Imperator? & Osius ad Constantinum: nec nobis in hoc genere præcipe, sed ea potius à nobis disce: tibi Deus Imperium commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Etenim ut D: Ambrosius ad Auxentium ait. *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est: Quid enim honorificentius, quàm Imperator filius Ecclesiæ esse dicatur?* Quid deinde absurdi in hoc quod Pontifex Romanus in jure Canonico vocetur Deus? Siquidem sæpiùs in scriptura S. viri & aliis præcellentes dignitate & officio vocantur Dij: nimirum & homo Deus est non naturâ, aut absolutus, sed participatione naturæ, & subordinatus: unde S. Petrus testatur *nos consortes fieri naturæ Divinæ*, vel ratione officij, quòd Deo quidem primariò competit, ut est regere, docere, ac judicare alios inferiores: adeoq; est subordinatus summo Deo, seu vices solùm Dei gerens: & talem agnoscimus Pontificem Romanum nempe Vicarium

Exod. 7. 1.
Ps. 46. 10.
Ps. 81. 6.

carium Christi D. Quid secundò absurdi in eo, quod *prima sedes non sit judicanda?* jam enim eo ipso non esset prima, si ab altera judicari posset. Primam autem sedem Romanam, omnis retrò antiquitas præter Schismaticos & hæreticos agnoscit. Quid 3. absurdi in eo? quòd *neque de Sedis Apostolicæ judicio, neminis sit judicare*; præsertim, quia ordinariè quæcunq; decernit, fiunt accurratissima cum discussione, seu cum Concilio Generali, seu privato Cardinalium & virorum Doctorum ac proborum. Quis judicium æquo animo ferat se judicari ab alio? Eccur judicium primæ sedis non sit tale, ut nulli subsit, præterquam judicio supremi hominum judicii? Quid 4. absurdi in eo? quòd *Petrus Petriq́ successor, sit Vicarius Christi, & quod in hac ejus potestate sint duo gladij, spiritualis & materialis?* De quibus Petrus *ecce hic duo gladij*: & D. Bernardus testatur lib: 4. de consid: c: 3. *Sed is quidem ait pro Ecclesia, ille ab Ecclesia exercendus est, ille sacerdotis, is militis manu.* Item Cæsar Cisterc: Hom: 2 in Domin: 2. Adver: *Vnus gladius spiritualis est, qui Papæ collatus est à Domino, alter materialis, quem tenet Imperator, similiter à Deo collatus; his duobus gladiis desensatur Ecclesia.* Quid denique 5. absurdi? quòd *Imperium subsit sacerdotio?* scilicet in spiritualibus principaliter ac primariò. Siquidem Ss PP. & Imperatores ipsi testantur expresè, spiritualem potestatem superiorem esse seculari; ut dictum.

CAPVT IX.

An Catholici Romanam fidem persuadendo utantur consiliis violentis.

PRovolvitur deinde ex his Vindex Laconico stylo ad pseudologias. *Vindicis pseudologiæ & criminationes.*

1. Vocando *versutiam & fraudulentiam in syllogismo scrutatoris.* quid huic cavillationi reponamus? quàm exemplo Domini: *Pater dimitte.*

2. Proscindendo, quòd *quoties Catholici videri volunt argumentis, persuadere fidem Romanam, in animo sibi reservant consilia violenta. quod qui cæca obedientia nolunt amplecti fidem Rom: per vim sint cogendi ad illam.* Certè non cogunt Catholici ad fidem, sed puniunt partim pœna spirituali in foro Ecclesiastico, partim seculari in foro seculari refractarios, & turbas facientes in Ecclesia: cùm enim *omnis anima potestatibus sublimibus subdita sit* juxta Paulum Rom: 13. *omnisq́; potestas sit ordinata à Deo, adeòq́; qui resistit potestati Dei, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt*: necesse est, ut & in hoc seculo puniantur tales resistentes. Ille enim qui ex Dei ordinatione potestatem habet *Dei Minister est & vindex in iram ei qui malum agit.* Rectè Cromerus non laudat coactos Ethnicos in Prussia ad fidem Christianam, sed Christianos non ait non puniendos, si qui turbas & seditiones perfidiâ suâ & aliis modis illicitis creant in Ecclesia. Nam D. Augustinus ait, *ad fidem quidem nullus est cogendus invitus, sed per severitatem, imò & per misericordiam Dei, tribulationum flagellis solet perfidia castigari: quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur* Et paulò post. *Qui tamen adversas leges constituerunt quibus vestra comprimatur audacia* (*alloquitur Donatistas*:] *nonne hi de quibus dicit Apostolus, quia non sine causa gladium portant? Ministri enim Dei sunt vindices in iram, ei qui male agit.* Tom: 7. cont: cit: Petil: lib: 2. c: 83. Nolo in hanc rem plura ex eodem, nè longus sim, adferre; innuimus tamen aliqua. *Non minùs*, inquit *contra hæreticos, quam contra veneficos gladium portare secularem*

Catholici non cogunt ad fidem.

SS. patres docent puniendos hæreticos, atq; pœnis coercendos.

D. August.

larem potestatem & excommunicationem esse vindictam spiritualem probat Tom: 7. ep: 164. ad Emeritum Donatistam: Et Ep: 48 ad Vincentium. *Iustissimam*, item docet *Imperatorum* iram in hæreticos Tom: 9 in Evang: Joan: Tr: 11. *Multas* item *Civitates factas Catholicas timore legum Imperialium.* Tom: 2. Ep: 48. ad Vincent: prope med; *Multi in Ecclesiam violenter pertrahuntur, qui tamen intus inveniunt, unde se intrasse lætentur.* Tom: 7. contra 2. Ep: Gaud: l: 2. c: 17. gemina his legere est apud Hieron: Probat enim *hæreticos pondere mali pressos ad sinum Matris Ecclesiæ reverti* l: 1. comm: in c: 2. Oseæ energica est illa sententia ejusdem. *Depone gladium & ego scutum abjiciam: In uno tibi consentire non potero, ut parcam hæreticis, & me Catholicum probem. Si ista est causa discordiæ; mori possum, tacere non possum.* Tom: 2. l: 3. adver: Ruff: cap: 11. *Imperialibus*, item, *literis in negotiis Religionis quosdam Episcopos orientis & occidentis Romam citatos testatur*: Tom: 1. Ep: 27. ad Eustoch: c: 2 in med: Quin, quæ de se ipso testatur, audiamus? *Imperatorum scripta, quæ de Alexandria & Ægypto, Origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. Vt Romanæ urbis Pontifex miro eos odio detestetur, meum consilium fuit: ut totus orbis post translationem tuam, in Origenis odia exarserit, quem antea simpliciter lectitabant, meus operatus est stylus.* Tom: 2. l. 1. adver. Ruff: c; 3. in med. De *Priscilliano* ait quod & *seculi gladio & & totius orbis authoritate damnatus sit.* Tom: 2. adv: Pelag. ad Ctesiph: c: 2. in princ: D. Chrysost: quoq; docet *Hæreticorum conciliabula esse dissipanda.* Tom: 2. p: 352. D. Hæc & plura alia hi Sancti, tanti in Ecclesia Dei, Patres, qui hisce & aliis compluribus testimoniis comprobant in antiqua Ecclesia fuisse hunc communem sensum, nè Catholici paterentur nova in Ecclesia schismata & hære-

D. Hieronymus.

D. Ioannes Chrysostomus,

ſes oriri, & propagari, in idq; omnem intenderent operam, ut ad unitatem Eccleſiæ omnibus viis, etiam ſi opus foret admota ſeculari poteſtate, heterodoxos reducerent. Quid ad hæc Vindex ? nunquid hæc fuerunt SS. PP. *conſilia violenta ?* & *quod* (verba ſunt ejuſdem) *qui cæcâ obedientiâ nolunt amplecti fidem Catholicam per vim ſint cogendi ad illam ?* Quis verò tales ab Eccleſia cogi & non potiùs còërceri, tanquam Diſcolos & protervos filios ab optima Matre agnoſcat ? nunquid *hoc pacto oſtendunt ſe à dulci IESV nomine multum recedere ? Quid*, inquit, *ille humano corpori prodeſt cibus, quem nauſeans removet ſtomachus ?* Quin ideò, quia id vitio ſuo facit, Medicus advocandus, medicina præſcribenda, & adhibenda etſi amara interdum, & minùs grata potio. *Et ſubdit quæ ſalus animæ ex illa doctrina, quam conſcientia* horret & faſtidit ? ſed malè temperata aut ex errore, aut ignorantia, aut malitia, ideò corrigenda. Neq; verò id eſt *dominari conſcientiis* imò à gravi ſervitute erroris atq; æternæ damnationis liberare. *Quos liberos voluit eſſe Deus*, ſed tamen, *intellectum in obſequium fidei ducentes*, quæ interdum liberas ſe exiſtimant eſſe *ad cæleſtis verbi unicam Regulam*, ſed circa hanc ipſam interdum errant, ut à Matre & Magiſtra Eccleſia in viam veritatis debeant, aut liberè virtutis amore, aut invitè formidine pœnæ, deduci. Agnovit id providentiſſimè Nobilis Magiſtratus Gedanenſis, qui nulla ratione permiſit Quakerianam hæreſim in ſua Civitate ſedem figere, quin gliſcentem in ipſis ſcintillis etiam, vi minarum, carcerum, atq; proſcriptionis admota extingueret.

CAPVT X.

An Theßalonicensium potiùs quàm Romanorum Ecclesia, à D. Paulo Catholica constituta.

INfirmare contendit ea, quæ ex Vincentio Lirinensi adferimus de Ecclesiæ Catholicæ *universalitate, antiquitate, confessione*; ea nempe haud competere Ecclesiæ Romanæ, hoc argumento, ut scilicet ex *antiquitate, universitate, consensione probemus, dogma de primatu & jurisdictione Papæ; de communione sub una specie; de clericorum cælibatu, de purgatorio, de cultu Sanctorum*; &c. Sed hæc & alia his similia sat superq; probata sunt, à tot polemicis Authoribus, ut mirum sit, hisce haud credere vindicem cum suis. Probandis illis hinc & nunc immorari haud est locus. Illud porrò albo notandum calculo, quod nobis ultrò dat Vindex, quando ait: *Nos verò antiquitatem, consensumq; Patrum, & conciliorum nequaquam reijcimus, ut potiùs admittamus antiquissima illa symbola Apostolica, & Oecumenica verè talia, venerandisq; Patribus magnam tribuaimus authoritatem, sed post scripturas tanquam testibus, quorum interpretationes etiam libenter admittimus, nec alio sensu scripturas interpretamur, nisi quem esse Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ constat.* Verùm hic se teneri agnoscat Vindex necesse est, restat enim quærendum, atq; ab illo determinandum *quænam illa est Apostolica & Catholica Ecclesia?* suam ille Lutheranam indubiè saltem implicitè contendit, at non probat, quod maximè probandum foret. Nos eam esse non aliam quam Romanam asserimus & probamus 2da. parte scrutinij, & *Regiâ viâ*. Unde Vindex ad nostram probationem conversus rediit ad ingenium & stylum suum Laconicum i. e. aculeatum; ait enim

Vindicis sensus de SS. Patribus

Vindicis convitia.

scrutator verò, quando de Ecclesia antiqua loquitur merum glaucoma objicit : Sed & *Sophistam* eundem facit inferius; eo quod asserat Romanam Ecclesiam verè esse Catholicam seu illi antiquæ & primitivæ consonam: idq; demonstrare contendit præsumpta eversione argumenti nostri petiti ex Epist: D. Pauli ad Rom: 1. 8. *Gratias ago Deo meo, per IESVM Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Huic autem testimonio D. Pauli opponit locum ex Epis: 1. ad Thess: 1. v. 7. 8. *Gratias agimus Deo semper pro vobis omnibus, quia Evangelium nostrum non fuit ad vos, tantùm in sermone, sed & in virtute, & in Spiritu S. & in plenitudine multa &c. ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & Achaia; à vobis enim ebuccinatus est sermo Domini, non solùm in Macedonia & Achaia, sed & in omni loco fides vestra quæ est ad Deum profecta est* tum subjungit Vindex *quisquis sanæ mentis est conferat ista cum his, quæ ad Romanos scripsit, & multò hæc majora & graviora illis esse intelliget.* Hinc concludendo ait; *concludamus igitur, potiùs Thessalonicensium, quàm Romanorum Ecclesiam ab Apostolo constitui Catholicam.* An se ita res habeat & an non ipse sibi potiùs suisq; merum glaucoma seu fascinum applicet videamus

S. Paulus non tribuit plus Ecclesiæ Thessalonicensi quam Romanæ neq; illam Catholicam prænunciavit ejus fidem laudando.

1. Nullus SS. Patrum in explicatione allegati utriusq; textûs, tantum tribuit Thessalonicensium fidei, quantum Romanorum ut videre est in SS Pp. à me citatis in scrut: verit: fid: cit: loc. Ita enim de fide Romana loquuntur, ut non solùm intelligant, illam, quæ tum viguit Romæ prædicante D. Paulo, sed etiam illam quæ post sequuturis temporibus vigere & annuntiati in universo orbe debuit, quòd scilicet semper duratura, nec à fide semel accepta recessura esset, Romana Ecclesia; Quod sufficienter denotat SS. PP. per Romanam fidem à D. Paulo præ-

Patet id 1. ex SS. PP: qui de Rom: Eccl. fidei perpetuitate omnis Thessalonicensis testantur.

lo prædicatam intellexisse Catholicæ Ecclesiæ fidem, adeòq; Romanã Ecclesiam veriùs esse Catholicam quam Thessalonicensium, de cujus fide nihil horum apud SS. PP. est legere. Nam Hieronymus ait *Romanam fidem Apostolico ore laudatam ejusmodi* [supple hæreticorum) *præstigias non recipere, Pauli authoritate munitam, mutari non posse.* Vult item *parceretur Romanis auribus, parceretur fidei quæ Apostoli voce laudatur* *Fidei*, inquit, *parceretur*, non utiq; solùm illi, quæ fuit tempore S. Pauli, sed etiam tempore S. Hieronymi, idq; confirmat idem in præfat: l: 2. ·s Ep. ad Gal: *Vultis scire ô Paula ! & Eustochium ! quomodo Apostolus unamquamq; Provinciam suis proprietatibus denotâvit ? usq; hodie eadem, vel virtutum vestigia permanent, vel errorum Romanæ plebis laudatur fides; ubi aliquando tanto studio & frequentia, ad Ecclesias & ad Martyrum sepulchra concurritur ? ubi sic ad cœlestis tonitrui similitudinem reboat Amen ? Et vacua idolorum templa quatiuntur ? non quòd aliam habeant Romani fidem : nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit, & simplicitas ad credendum.* Quid quæso diversum ab illis dici potest, de Ecclesia Romana etiam nunc præsente, quantò etiamnum studio, & frequenriâ ad Ecclesias & Martyrum sepulchra etiam de longinquis Christiani orbis partibus concurritur ? quod templa Idolorum quassata in Basilicas surrexêre Christi nomine insignitas ? Nunquid aliam habent nunc Romani fidem, quàm eam quæ per omnes ætates & per omnes Christi Ecclesias tanto orbe Catholico creditur ? An non & nunc devotio Romæ major & simplicitas ad credendum, quando impertinentibus illis quæstiunculis de Ecclesia & Papæ infallibilitate &c. non datur locus. Cyprianus quoq; (quem non credat Vindex *vitio aliquo animi aut judicij* in scrutinio veritatis fidei postpositum.

D. Hieronymi

D. Cyprianus.

Hiero-

Hieronymo: tunc enim rationem ipſius rei, non ætatis quâ vixêre hi Patres habuimus) ait *eos eſſe Romanos* non Theſſalonicenſes, *quorum fides Apoſtolo prædicante laudata, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.* Ergone vel ideò non eſt Catholica? Theodorus quoq; *fidem Romanam* ait non Theſſalonicenſem, *clariſſima voce laudatam à Paulo multis prærogativis ornatam eſſe*, Quidni & hâc quod ſit Catholica? Sed libeat adhuc audire S Hieronymũ? *Te alloquor* inquit *quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione delêſti, urbs potens orbis Domina, urbs Apoſtoli voce laudata, interpretare tuum vocabulum? Roma aut fortitudinis nomen eſt, apud Græcos, aut ſublimitatis juxta Hebræos* lib: 2. cont: Iovin: Nimirum debebat hæc Eccleſia & fortitudinis robore, & ſublimitatis prærogativa ſupra cæteras urbes, etiam Theſſalonicenſem, *ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione delere*, & aliis etiam gentibus, Regnis, & urbibus deletâ blaſphemiâ eandem inſcribere confeſſionem, ut nec *portis inferni prævalentibus* poſſet deleri; Quid quod etiam Tertullianus, non tantum doctrinam prædicationemq; Evangelij ac fidei Chriſti communicaſſe S. Paulum, ſed etiam unà cum S. Petro ſanguinem ſuum profudiſſe Romanæ Eccleſiæ, non Theſſalonicenſi teſtetur? *Habes*, inquit, *Romam, unde nobis quoq; auctoritas præſto eſt, ſtatio felix Eccleſia; cui totam doctrinam Apoſtoli* [ſcilicet Petrus & Paulus) *cum ſanguine ſuo profuderunt.* Prodeat hiſce SS Patribus antiquior, quia primo Chriſtianæ fidei ſeculo vicinior Irenæus, hic quem calculum adijciat Eccleſiæ Romanæ non Theſſalonicenſi audiamus: *Quoniam* inquit lib: 3. c: 3. *Valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & cõſtitutæ Eccleſiæ, eam* quàm

D. Hieronymus iteratò.

Tertullianus.

D. Irenæus.

quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos. qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gratiam, vel cæcitatem malamq; sententiam, præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam h. e. eos qui sunt undiq; fideles, in qua semper ab his, qui sunt undiq;, conservata est, ea quæ est ab Apostolis tradita. Veniat ad D, August: in medium. is *de eadem* Romana Ecclesia non de Thessalonicensi ait, quòd *in illa Apostolica Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* Tom: 2. Ep: 162. prope init; de eadem ait non de Thessalonicensi *ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ* Tom: 7. in psal: cont. Partem Donati; In hac se quoq; teneri fatetur non Thessalonicensi, inter cætera ob hoc etiam motivum, quia *in illa est* (non Thessalonicensi) *ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad presentem Episcopatum successio sacerdotum* Tom: 6. cont: Ep: Manich: c: 4. Atqui hæc eadem successio & nunc manet: ergonè ideò non Catholica Romana, sed Thessalonicensis? quæ nullam talem successionem habet. Habet igitur hic Vindex tot SS. PP. pro Ecclesia Romana non Thessalonicensi militantes. *D. August:*

2. Quo pacto Vindex poterat concludere ex collatione illorum duorum testimoniorum S. Pauli, *Thessalonicensium potiùs quàm Romanorum Ecclesiam constitui Apostolicam?* cùm de facto apprimè noverit, è tot retrò actis sæculis Thessalonicensium, haud singularis fuisse in Ecclesia universa considerationis: nihil enim de hoc testantur historiæ. Insuper eandem cum schismate Græcorum defecisse; nullas Ethnicorum gentes convertisse, nullam *Patet secundo qui ɩ Thessalonicensis Ecclesia dudum defecit.*

particularem Ecclesiam, aut Episcopum, in rebus dubiis aut litigiosis ad illam recurrisse. Nullum concilium generale aut particulare instituisse: non hæreticos damnasse: non Ecclesiam & fidem in omnem terram & ad fines orbis promovisse: Quæ omnia cernuntur in Ecclesia Romana.

Tertiò quia hæc ipsa testimonia quibus utitur contra Romanam Ecclesiam pro ipsa faciunt,

3. Quia hæc ipsa testimonia, quæ Vindex voluit contra Ecclesiam Romanam, quasi non illa sed Thessalonicensis sit Catholica, pro Romana faciunt. Citat enim Inpr: orig: lib: 1. p: 332. ita commentantem: *si in universo mundo simpliciter accipiamus, hoc videtur designare, quod dicimus in multis locis mundi, hoc est terræ hujus, eorum qui Romæ sunt fides & Religio prædicatur.* Verùm fit ita sanè atq; ita eodem tempore etiam Thessalonicensium eodem sensu scilicet *fides* seu *sermo Domini ebuccinatus* seu juxta vulgatam *diffamatus*, aut *divulgatus* ex Græco ἐξήχειθαι *resonuit* juxta syrum *manavit in omni loco*, hoc est, *terræ hujus*: nihilominùs tamen Thessalonicensium jam nec per tot secula, neq; nunc fides & Religio prædicatur in omni loco mundi h. e. terræ hujus: prædicata autem est, defactoq; prædicatur Romanorum. Quæ igitur harum Catholicæ potiùs nomen mercatur, quisquis sanæ mentis est judicet: secundò citat pro Thessalonicensium contra Rom: Eccles: Hieronymum, qui etiam prædicta verba, sic commentatur. *Ostendit quomodo Romanorum fides omnibus Ecclesiis cognita sit, vel certè quòd eadem fides quam Romani tenent in universo mundo ab Apostolis prædicetur. Item prudenter laudat, ut provocet ad profectum, sive quia omni mundo mirum fuit Romanos credidisse, qui idolorum fuerunt nimiâ culturâ possessi; sed & simpliciter eorum fidem laudasse credenpum est, cujus nunc devotio demonstratur.* Quid hic locus facit contra Romanam Ecclesiam, quòd non

non ſit Catholica? Quid pro Theſſalonicenſi, quòd ſit Catholica? quiſquis ſanæ mentis judicet, & concludat quænam harum Eccleſiarum ab Apoſtolo Catholica conſtituta, nec ſcrutatorem, ſed vindicem agere Sophiſtam, qui in tam evidenti re, audeat, & ſcrutatori imponere, & Lectori fucum facere.

CAPVT XI.

An Romana fides hodie iuxta Concilii Tridentini placita contraria ſit doctrinæ D. Pauli in Epiſtola ad Romanos traditæ.

Propoſitiones 14 objectæ Rom: Eccleſiæ quaſi ab eadẽ docetur contra D. Paulum referuntur & refelluntur.

VLtimum adhibet arietem contra noſtrum primum argumentum, quo Eccleſiam Romanam à poſſeſſione Catholicæ fidei deturbet; & eam ad Theſſalonicenſem transferat: *Qualis autem fides ait, illa Romanorum fuerit, quam laudavit Apoſtolus, vel ex ipſa intelligitur Epiſtola, cui Romana fides hodie planè eſt contraria juxta Tridentini Concilij placita.* Adducitq; 14. propoſitiones ſupponens illas à S. Paulo doceri, adnotato loco ex eadem Epiſtola S. Pauli ad Rom: ab Eccleſia autem Romana in Concil: Trid: negari, ſimplici ut præmiſit planè ac Laconico ſtylo, id eſt tali, qui eſt arena ſine calce. Nam

1. In nulla illarum propoſitionum attingitur, prout res requirit ſtatus quæſtionis. Vnde

2. Committitur à Vindice fallacia ignorantiæ Elenchi.

3. Nulla propoſitio ut jacet, legitur in S. Paulo. Quod ut manifeſtum fiat, percurro breviter haſce propoſitiones.

1. *Libros Canonicos eſſe quos legit Eccleſia Iudaica* C: III. 2

At nè verbum illic legitur de libris Canonicis, sed tantùm simpliciter dicitur, quod Judæis *credita sunt eloquia Dei*, id est lex Mosis, hoc est, ut D. Chrysost: in h: l: ait nempe *quòd ipsis concredita lex est, quòd tanti illos fecerit Deus, ut illis oracula é superis delata crediderit. Nec me certè præterit, quosdam esse, qui verbum id: commissa sunt, non de Iudæis, sed de Sanctis interpretatur h: e: quòd commissa lex est.* Neq; hic exprimatur quinam sint hi, & quibus Authoribus scripti libri Canonici, quid si insuper quispiam hinc, sic argumentetur. Libri quos Ecclesia Judaica legit, sunt Canonici. Atqui libros novi Testamenti non legit Ecclesia Judaica, ergo non sunt Canonici. Quid ad hæc Vindex?

2. *Scripturam esse majorem omnis hominis authoritate* III 4 Ast ubi Romana Ecclesia in Concilio Triden: huic contrarium docet, quanta hæc ignorantia Elenchi? deinde ex loco hic à vindice citato clariùs quispiam probare potest. quòd Resp: sit mendax, quam propositio, quam adducit, dicitur enim ibi *omnis homo mendax*, atqui is est homo, ergo.

3. *Scripturam esse âb omnibus legendam XV.* 4. XVI. 26. Neque hæc propositio rectè formata est juxta statum quæstionis. Nam legatur Regula IV. de lib: prohib: Concil: Triden: ibi non absolutè negat legendam scripturam, sed cum modificatione, quo lectorem remitto, de quo etiam tractamus fusius in D. Chrysost: à Lutheranismo vindicato Controv: 1. deinde ntroq; loco nihil absolutè meminit D. Paulus de lectione scripturarum, ut ab omnibus legatur: sed in primo ait. *Quæcunq; scripta, ad nostram doctrinam scripta sunt*: Sed non ait, ideò ut ab omnibus legantur: Ergo insuper inferre posset aliquis ad illorum qui illas legere non noverunt doctri-

nam

nam non sunt scripta ? Scripta sunt equidem ad doctrinam, at hæc seu lectione, seu prædicatione haberi potest. In altero solùm meminit scripturarum Prophetarum. Ergo dicet quis, hæ solæ legendæ, cum de aliis sileat.

4. *Iustificationem esse non imputationem* IV. 6. 8. Sed non negamus pacis gratiâ eam esse; verùm tanquam quid consequens & posteriùs ipso dono gratiæ, quod est quid positivum, priùs, & ratio formalis justificationis. Omne enim negativum, est quid posterius & consequens quid ad ipsum esse formale positivum, sic possum quidem dicere de homine quod non sit lapis, non brutum &c. Sed hoc est quid consequens & posteriùs fluens ex priori & formali ratione positiva rationalitatis, qua formaliter homo constituitur; ita & justificatio primò & formaliter constituitur ipsâ *gratiâ & justitiâ Dei*, quæ est *unica formalis causa quâ nos justos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ* ut ait Triden: Concil: sess: 6. cap: 7. id quod ipse Vindex agnoscit in V. Propos: dum ait *justificationem esse ex gratia, de qua testatur D. Paulus quod diffundatur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis* Rom: 5. 5. ad quam tandem consequitur, non imputatio. unde hac in propositione Vindex reum se pronunciat vel tacendo ignorantiæ Elenchi.

5. *Iustificationem esse ex gratia non ex operibus* III. 20. V. 26. Verum & hic committit ignorantiam Elenchi; non enim id negamus quod asserit, ut patet ex immediatè dictis. Et patet ex Concil: Triden: Sess: 6. cap: 8 deinde S: Paulus in primo loco loquitur manifestè de *operibus legis* vet: Testam: & *antecedentibus fidem* in Christum ut patet etiam ex v. 22. non autem de operibus concomitantibus fidem tanquam eam quæ in justificatione est, *initium. fundamentum, & radix*, ex qua pullulant

bona opera, id quod etiam S. Paulus secundo loco demonstrat, de quo fusiùs tractamus in D. Chrysost: à Luther: vindicato.

6. *Vitam æternam esse donum gratiæ* VI. 23. XI. 6. Quis verò Catholicorum de hoc dubitat? non tamen est ita donum gratiæ, ut etiam bona opera non requirantur ad vitam æternam consequendam, quorum utiq; est *merces copiosa in cœlis* Matth. 5. 12. Luc: 6. 23. Apoc: 11. c: 8. & vet: 12. quam etiam denotat ille *denarius* qui æqualiter datus operantibus *in vinea* Matth 20. g. quæ est *corona justitiæ.* Sed *reposita* iis qui cum Paulo *bonum certamen certârunt, cursum consũmarunt, fidem servârunt, & iis qui diligunt adventum ejus* 2. Tim: 4. 3. Et *Corona,* sed danda *legitimè certantibus* 2. Tim: 2. 5. est *Corona vitæ,* sed appromissa *fideli usq; ad mortem* Ap: 1. 17. est *Regnum* quod denique (ut cætera in hanc rem taceam) non possidebunt *operarij iniquitatis* Matt; 7. 23. nec in illud omnis intrabit *qui dicit Domine, Domine sed qui facit voluntatem Patris qui in cœlis est.* 16. 21 de quo vide apertam Doctrinam Concil: Trid: Sess: 6. cap: 16.

7. *Solum Christum esse Mediatorem* VIII. 34 & hoc quis nostrum negat - committit igitur ignorantiam Elenchi vide de hoc Concil: Triden: sess: 25. de invocatione Sanctorumm, &c.

8. *Christianorum sacrificium esse obedientiam novæ vitæ.* XII. 1. 2. non diffitemur obedientiam esse sacrificium laté & amplè spectatum, quin dicimus cum Samuele, *obedientiam meliorem esse quaàm sacrificium, quia quasi peccatum ariolandi repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere* scilicet sermoni Domini Reg: 15. quem nobis Deus explicat per Ecclesiam suam, sicut Sauli non per solam scripturam, sed etiam suum Prophetam. Non tamen hinc

hinc sequitur, non dari etiam aliud strictè sumptum, sacrificium novi Testamenti incruentum, neq; hoc Sanctus Paulus dicto loco negat. Quanquam ibi S Paulus hujus verbi *obedientia* non meminit. Quod si Resp: dicat eam implicitè intelligi, in illo dicto S. Pauli, *ut probemus quænam sit bona, bene placens, & perfecta voluntas Dei,* optamus illi ex animo, et hanc bene penetret & assequatur; ut enim id quod sequitur: *non sapiat ultra quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem,* videlicet per sacrificium obedientiæ in simplicitate cordis præstitæ S. Matri Ecclesiæ.

9. *Concupiscentiam in renatis esse peccatum* VII. 18. At non repugnamus esse lato modo & ampliativè loquendo; nim. peccatum sumendo pro eo quod *ex peccato est, & quod ad peccatum inclinat,* Non autem *verè* & propriè, ac formaliter peccatum dici potest in iis qui renati fonte baptismatis sunt in gratia, *Filij Dei, Divinæ consortes naturæ* effecti, de quo fusiùs Concil: Triden: Sess: 5. neq; S. Paulus dicto loco plùs innuit. Reus itaq; & hîc Vindex est ignorantiæ Elenchi.

10 *Christianos posse certos esse de salute sua* VII. 18 Sed neq; hæc propositio est formata juxta statum Quæstionis, adeoq; ex ignorantia Elenchi. Nam non negamus posse esse certos extra ordinariâ Dei gratiâ, per revelationem aliquam particularem, aut internam aut externam v. g. per Angelum, id quod non paucis Sanctis in Ecclesia viris accidit. Quæritur autem an ordinariè per solam fidem certi sint? & dicimus ob bonum pacis posse esse certos certitudine conditionatâ, non tamen absolutâ. Siquidem multi etiam tempore Apostolorum circa fidem naufragium passi, & talem absolutam certitudinem negat Concil: Triden: sess: 6. cap: 9. unde nonnisi

nisi *si perseveraverint usq; ad finem salvi erunt*, Sed an in fide & *gratia Dei* sis perseveraturus, quis te certum fecit? Nec verò quidquam de absoluta certitudine illic absolutè omnium Christianorum S. Paulus dicit, sed non nisi de suâ propriâ, cui quis se nostrûm audeat comparare; Quis enim nostrûm vas electum? quis *raptus ad tertium cœlum* didicit *arcana Dei quæ non licet homini loqui*?

11. *Per Ciborum discrimen non debere injici laqueum conscientiis* XIV. 3. 5. At verò quis Catholicorum tale discrimen facit? ubi Concil: tale discrimen docet? committitur itaq; hac propositione ignorantia Elenchi. S. Paulus quoq; dicto loco, nihil habet de tali discrimine de quali loquitur propositio: nec reijcit jejunium Catholicum Apostolica traditione Ecclesiæ relictum, ut docent SS. PP. quin illud etiam dicto loco approbat S. Paulus: *qui* ait, *non manducat, Domino non manducat* v. 6. & sup: v. 3 *Is qui manducat non manducantem non spernat etsi bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum*: idque si bonum est ex propriâ voluntate assumptum, multò magìs bonum est ex obedientiâ Ecclesiæ per Apostolicam traditionem præcipienti, præstita.

12. *Omnes qui habent animam rationalem debere subditos esse magistratui* XIII. omninò. at ubi id negat Concil: Trident; imò hoc vel maximè urget, ut Diffidentes ab Ecclesia & Magistratu spirituali, sint eidem subditi & obedientes de quo plura alibi. Hæc igitur quoq; propositio ignoratione Elenchi laborat.

13. *Paulum per Dei gratiam primarium fuisse Apostolum Ethnicorum, ergo & Romanorum* XV. 15 XVI. 19-20. Non negamus primarium fuisse Apostolum etiam Romanorum *segregatum* ut ipse ait; *in Evangelium* Rom: 1. 11. & factam à Christo Domino *vas electionis ad portandum nomen*

men ejus coram Gentibus. Concil: Trident: id nullibi denegat S Paulo. & quid hinc inferre voluit Vindex? fortè ergo S. Petrus non fuit primarius, adeoq; nec caput, nec princeps primatumq; habens in Ecclesia. At verò id neq; hic neq; ullibi S. Paulus asserit, imò nec dictis locis quidquam tractat de hoc, quod ipse sit primarius Apostolus: Non primo; ibi enim hæc leguntur. *Audaciùs autem scripsi vobis fratres ex parte tanquam in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data est mihi à Deo,* non etiam secundo ut legenti patebit. Quin imò S. Paulum detulisse primatum Petro colligi potest, vel ex eo quia ascendit Hierosolymam *videre Petrum & mansit apud eum diebus quindecim* Gal: 1. 18. quia nimirum ut ait D. Chrysost: hom: 87 in Ioan. *Petrus erat Apostolorum Princeps propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit,* & Hieron: ait hîc; *studio honoris priori Apostolo deferendi.* idemque sentiunt Theod: Ambr: &c. committit itaq; hoc Entimemate parologismum, & ignorantiam Elenchi.

14: *Ecclesiam Romanam posse errare* XI. 20. 21 & hic demum ignorantiam Elenchi committit Vindex: Ecclesiam enim Romanam *quà Romanam,* quà illius urbis territorio circumscriptam, adeòq; quà talem, ut privatam & particularem Ecclesiam posse errare disputari potest. At *quæ est Romana,* quæ scilicet tanto mille & tot Cētenorum Annorum intervallo obtinet primatum in omnibus Ecclesiis, magisteriumq; illarum exercet, adeoq; quà hoc nomine est Catholica seu universalis Ecclesia, nullo modo errare potest, nec unquam erravit. Neq; verò etiam id de Romana seu particulari, seu universali Ecclesia. S. Paulus loquitur dicto loco, sed solùm monet universim, omnes Gentes in locum Judæorum, *ex gratuita Dei bonitate assumptos: nè glorientur adversus Ramos* i. e. Judæos, *qui*

propter incredelitatem fracti sunt, sed ut ipsi fide stent, nec altum sapiant, sed timeant: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit nè fortè nec illis parcat, suamq; in eos exerceat severitatem excidendo eos penitùs &c. Et hæc sufficiant quoad allatas propositiones. Videat igitur Vindex quâ fronte concludat. *His cum planè contraria hodie sub anathematis etiam fulmine credenda imperet Romana Ecclesia meritò dixeris eandem quæ olim ad Romanos scribebatur Epistola hodie contra Romanos legi in Ecclesia Christiana.* Videat an hæc sint recitati consentanea, agnoscat se proinde iniquum vindicem Lutheranæ Ecclesiæ, quin reum veritatis: & desinat affingere Ecclesiæ Romanæ quæ demonstrare nequit: seu ob ignorantiam doctrinæ nostræ, seu alia de causa. Potiùs permittat se etiam à nobis informari, quid Ecclesia Romana & Concil: Trident: doceat, non deerit noster fidelis & sincerus in informatione danda labor.

CAPVT XII.

An Papalis Cathedræ dispositio, seu Vicario Christi in Papa Authoritas & Potestas sit planè contra rationem.

COntendit deinde Vindex alterum nostrum Argumentum pro Romana Ecclesia, quòd sit Catholica, evertere, nimirum petitum ex *vicaria Magistra Authoritate Christi Domini, soli Ecclesiæ Romanæ communicata.* Arguit hìc scrutatorem. Quòd *primum omnium hoc probandum fuerit, an Christus Dominus aliquam Vicariam Magistram authoritatem in Ecclesia esse voluerit.* Sed utiq; expresse probatur in scrutinio, hanc ipsam à Christo Domino actu re

ipsa

ipsa relictam, tam ex Sacra scriptura, quàm ex SS. PP. sigillatim D. Basilio, & Cypriano pag: 185. & sequ: & p: 226. Deinde verò probare contendit *Papalis Cathedræ* [ut ille inquit) *dispositionem esse planè contra rationem*, Nam ait, *Papam esse à Christo Domino constitutum Vicarium, & hujus constitutionis nullam fieri mentionem in libris quæ acta, & facta Christi exhibent id contra omnem rationem est.* Rationem hujus hanc dat; *Neq; enim ratio vel verisimile putabit, si Christus propter Papam scripturis suis voluisset credi, quòd authoritatem instituti à se Papæ, non præmuniverit, in eisdem scripturis.* Sed non convincit, quia juxta hanc Respondentis argumentandi rationem dicere posset quis, quod hunc articulum fidei, quòd *in Divina essentia tres sint Personæ. vel quod Spiritus S à Patre, Filioq; æqualiter procedit & non per Filium*, voluisse Christum Dominum, à nobis fide Divina credi, sit planè contra rationem: Nam *in Divinitate esse tres Personas, & Spiritum S: à Patre Filioq; procedere æqualiter, non per Filium, voluisse à nobis credi Christum, & tamen non fieri mentionem in libris, quæ acta & facta Christi exhibent*, claris & disertis verbis (quoad has scilicet voces, Trinitas, Persona, Spiritûs S. à Patre Filioq; æqualiter processio, non per Filium, etsi nullum dubium sit apud orthodoxos quoad rem à Christo Domino hæc revelata esse) *id contra omnem est rationem*. *Neq; enim ratio, vel verisimile putabit quòd si voluisset Christus credi SS. Trinitatis Personas & processionem Spiritus S. etiam à Filio, non per Filium*, id non prædixisset vel præcepisset fidelibus credendum in *eisdem scripturis*. Multa nimirum sunt, quæ Christus Dominus vult à fidelibus credi, quæ tamen ab illo claris & disertis verbis, non sunt dicta aut præcepta, nihilominus tamen credenda sunt, eo quod ab Ecclesia velut ore & interpretatione men-

Papalis Cathedræ dispositionem non esse contra rationem declaratur.

 tis,

tis, atque verborum Christi sunt credenda proposita. Etenim expresse Dominus dicit ad Apostolos, *multa habeo vobis dicere, sed non potestis modò portare; cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem &c.* Ioan: *16.* ubi ostendit quòd non omnia ipse, ore suo, sed reliqua Spiritus S. Ecclesiam esset docturus, quæ nimirum credenda sint, quæ non. Sic Trinitas Personarum in Divinitate, processio Spiritus S. æque à Filio atq; à Patre, non autem à Patre solo per Filium [ut tot alia similia de Persona Christi, de Sacramentis &c. præteream) credenda omnia sunt orthodoxis, & tamen à Christo Domino claris disertisq; verbis, quoad ipsas voces & terminos non sunt revelata in script: etsi quoad rem revelata esse credamus; sed ab Ecclesia à Spiritu S. edocta nobis credenda proponuntur, utpote in conciliis generalibus definita, & à SS. Patribus, & Doctoribus scriptorum monumentis tradita, ac tandem communi, unanimi, ac perpetuo fidelium sensu & consensu firmata. Sic idem dicendum est de hac Papæ authoritate & potestate vicaria Christi Domini non quidem claris & disertis Christus Dominus de ea testatur, quòd illam instituerit, quia tamen Ecclesia ex certis locis scripturæ de hac potestate intellectis in Conciliis, & SS. PP. unanimiq; fidelium bene sentientium consensu, à temporibus Christi, & Apostolorum eidem dat fidele testimonium, ideò fit, ut non sit omnino contra rationem hæc Papalis Cathedræ dispositio. Quin contra omnem planè rationem est repugnare communi sensui tot doctissimorum virorum, & tam constanti tot seculorum & populorum consensu, deinde non dicimus nos *Christum voluisse scripturis suis credi propter Papam simpliciter,* Sed quia Ecclesia nobis per Papam tanquam Vicarium Christi vi-

sti visibile caput, Patrem & Pastorem fidelium, scripturas explicat, & interpretatur, vel si dicere tibi allubet propter Papam, nobis S. scripturam explicantem, non juxta suum proprium privatum, sed juxta communem, & unanimem sensum & consensum Ecclesiæ Catholicæ in Conciliis, & SS. PP. Unde illud dictum respondentis *Christus vult propter Papam scripturis suis credi*; non est pressè in ratione à respondente positum per ignorantiam Elenchi.

2. Inquit, *contrà rationem est, quod Christus Dominus ex instituti à se Vicarij authoritate pendere voluerit omnem doctrinæ veritatem, & tamen non præcaveat, quo minùs filij perditionis aliquando vicariatum gerant, & Ecclesiæ Catholicæ sedesq; Apostolica sit sentina scelerum.*

Sed hoc est vitium corrupti stomachi, ut omnia, quæcunq; sumit, in malum succum convertat, & qui bonos cibos nauseat, malis ac noxiis delectetur. Eccur respondens non vertit oculos in pios, ac Sanctos Pontifices, qui *forma gregis facti*, & verbo & exemplo, præluxêre aliis, qui aut pro fide Christi, aut pro immunitate ac integritate Ecclesiæ Martyrio affecti, qui fidem Christi per viros Apostolicos, à se missos, in tot Regna ac Provincias invexêre, atq; tot populos è tenebris infidelitatis, *in admirabile lumen* cognitionis veri Dei perduxêre; qui Ecclesiam, à tot hæresibus decretis, Canonibus, institutionibusq; conciliorum expurgavêre: qui Ecclesiam Chtisti benè ac laudabiliter rexêre; qui bello sancto contra Christiani nominis crucisq; hostem, tot ac tantas impensas contribuêre, & hodie adhuc Innocentius XI. contribuit, quem vel idcirco divina bonitas Ecclesiæ suæ, & totius Christianitatis bono conservet quàm diutissimè. Quis demum talia fando? quis cuncta memoret?

moret ? Eccur ad hæc & ſimilia claudit Vindex & ad illa ſolùm lynceos aperit oculos ? Et certè pervertatur ſyllabus Pontificum Romanorum, inveniuntur inter tot, plures docti, pij Sancti, quàm tales, quales ſimplici ſtylo deſcribuntur à vindice, ut adeò horum reſpectu non ſine ratione atq; inſigni contumelia vocet Papas *filios perditionis*, Eccleſiam Catholicam, ſedemq; Apoſtolicam, *ſentinam ſcelerum*. Quin eandem propter longe plures, bonos ac Sanctos, honorare debuiſſet, hoc elogio, quod ſit *pietatis ſpeculum, ſeminarium virtutum, exempla probitatis, hæreſûm fulmen, ſedes Orthodoxæ fidei, apex Chriſtiani honoris, ſpecula ex qua lumen fidei longè lateq; in univerſas terras reſplendet*. Unde nec juſta cenſeri debet cauſa ſcandali, quòd aliqui pro humana fragilitate in hac Apoſtolica ſede exorbitaverint peccata & vitia ſi quæ fuerant perſonas, non officium quod gerebant dehoneſtant; homines enim erant adeòq; humani nihil ab eis alienum fuiſſe putandum. Ubi tamen pro eorum officio vel docenda Eccleſia univerſalis, vel hæreſes condemnandæ, vel quidpiam in commune Eccleſiæ emolumentum ſtatuendum fuerat, induebantur *virtute ex alto*, aderat eis *ſpiritus veritatis*, Hinc nec quicpiam tale aliquando uuiverſæ Eccleſiæ ſeu credendum, ſeu agendum ab eis propoſitum, præſertim cum Concilio accipimus, quod minimam ſaperet hæreſim. Immerito proinde arguit Vindex *contra rationem eſſe* à Chriſto Domino inſtitutam *in Eccleſia authoritatem vicariam Chriſti, ejus ſedis, in qua aliquando reperti fuerant vitioſi*: ſic enim quis poſſet dicere etiam contra rationem eſſe, quòd Chriſtus D. voluerit unam ſolum eſſe fidem ſalvificam, ſiquidem tot aliæ ſectæ, ſchiſmata & hæreſes diverſæ, ac diſcordantes reperiuntur in orbe. Quin contra rationem eſſe

quòd

quòd Deus velit *omnes homines salvos fieri.* & tamen plures sint condemnandi : Contra rationem item esse; quod hominem creaverit eiq; præceptum dederit, nè comederet de ligno vetito , cùm tamen sciverit, eum, non servaturum fuisse hoc præceptum, contra rationem esse, quod permiserit Christus Dominus unum ex Apostolis à se electis fieri suum proditorem, cùm tamen divina sua virtute potuisset in Juda præcavere vel alium meliorem eligere. Nimirum in talibus, quæ Deus ad bonum finem instituit & ordinat, vultq; sincerè. ut bene se circa eum finem habent si ex parte hominum aliqua mala præter intentionem Divinæ voluntatis intermisceantur, non est curiosius rimandum, nec, vel Dei ordinationes arguendæ, vel scandalum aliquod inde trahendum: sed potiùs Divinæ dispositionis judicia adoranda, & cum S. Paulo exclamandum, *ó altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei* Rom: 11. Rectè enim ait D. Augustinus quòd *Deus meliùs judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Tom: 3. in Enchirid: c: 27 ut nimium ex malis bona faceret. Ille enim solus in se infinitè sapiens, infinitè bonus & omnipotens, novit optimè , ex malis elicere bona. Quod autem illud bonum velit Deus de hoc malo,quod adeò urget Respondens elicere, docet nos S. Augustinus : cit : à me scrutinij veritatis fidei. p: 225. *In illum ait , ordinem Episcoporum qui ducitur ab ipso Petro usq; ad Anastasium* [modo Innocentium XI.) *etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ , & innocentibus Christianis, quibus Dominus prævidens ait de præpositis malis. Matth: 23. Quæ dicunt facite quæ autem faciunt nolite facere ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.*

Tertiò

Tertiò. *Contra rationem ait esse ex institutione Christi Ecclesiam non posse absq; Vicario conservari, & tamen; successionem Vicariorum non tantum pendere à potentibus agendi modis eligentium & eligendorum; sed etiam interrumpi per vacantias, & impediri per plures simul còëxistentes* &c. Et hæc sunt judicia in vindice vitiati stomachi: ad quæ jam respondemus scrut: verit: fid: p: 225. falsò etiam supponit *successionem Vicariorum Christi pendere à potentibus agendi modis eligentium & eligendorum.* Quod interdum aliqua vitia in electionibus intervenerint, imperfectionibus humanis adscribendum; quæ tamen cum tempore, Divina providentia fecit corrigi; & longè plurium electionem jure, & ordinario atq; legitimo cursu factam, testantur historiæ. *Potestas* quoq; *Vicarij*, nec *per vacantias interrumpitur,* quia vel brevi temporis spatio, vel si interdum longiori fuerant, nihil inde Ecclesia detrimenti passa est, cùm Dei gratiâ & tum perstiterit, & nunc persistant in suo statu. Nec deniq; per *plures còëxistentes impediti*; nam semper tandem constabat Ecclesiæ, quis illorum fuerit legitimus? Deniq; quidcunq; mali hac in parte accidit, humanum erat, Deo permittente talia ex altis suis judiciis, ut nimirum de malis *faceret bene, ut certa sit spes fidelibus quæ non in homine* [nec in humana industria atq; potentia) *sed in Deo collocata nunquam tempestate sacrilegi schismatis* [quale fuit sub tempus plurium còëxistentium, vel potentiâ suâ abutentium in electionibus) *dissipetur.* Non igitur contra rationem est instituta potestas hæc vicaria Christi.

Refutare deniq; nititur nostras rationes pro illa vicaria authoritate suo stylo Laconico i. e. quæ asserit haud probante. *Christus*, quidem *novit quid Ecclesiæ suæ sit maximè conveniens*: Sed etiam per S. Spiritum eandem

docet,

docet, quid ei conveniat. Afferit ab eo institutam *Ecclesiæ formam per analogiam Aristocraticam*, Sed id non probat. *Christus Dominus independenter cum potestate regnat* quidem *in Ecclesia*, sed invisibiliter, quàm cùm visibilem esse voluerit; non aliter etiam vult regi, quam visibili modo, per suum vicarium visibile Ecclesiæ caput, & id probavimus tum ex S. scriptura, tum ex SS PP. in scrutinio veritatis fidei breviter, fusiùs alij; Veteris Ecclesiæ scripturæ testantur *summum sacerdotium fuisse figuram Christi Domini*, ita ut etiam fuerit figura ejusdem Vicarij. nam etiam veteris Ecclesiæ fuit Christus Dominus *caput invisibile*, in quod Judæi credebant, & exspectabant venturum ex quo in illos omnis influxus gratiarum descendebat: est enim Christus Dominus *constitutus* à Deo Patre, *caput supra omnem Ecclesiam* Eph: 1 12. Ergo & sup: Ecclesiam veteris Testamenti, quin & supra Ecclesiam legis naturæ, nihilominus in illa Ecclesia legis scriptæ, habebant etiam visibile semper Ecclesiæ caput, nim. Summum Pontificem, quorum primus erat Aaron de Tribu Levi, cujus familia jus successionis semper habebat usq; ad Annam & Caipham (in quibus quidem sub Christo Domino Summo Pontifice vet: Test: Pontificatus desiit] ad illorum insuper supremum Regimen Ecclesiæ illius veteris spectabat, ita ut illius fuerit in controversiis legis definitam sententiam pronuntiare, tenebanturq; Judæi illi sub pœna capitis obedire Deut: 17. 19. & sequ: lib: 2. Paral: 19 11. illius etiam erat in Conciliis majoribus, quæ *sanedrin*. vel *Synedrion* h. e *Consilium Seniorum* vocabantur, præsidere, inq; rebus gravioribus ferre sententiam. Num: 11 16. lib: 2. Paral: 19. 11.

Veteris Ecclesiæ summus Sacerdos, fuit figura, non Christi D. solum sed & pontificium Ecclesiæ suæ novæ.

CAPVT XIII.

An D. Cyprianus, contra Christi Vicariam Pontificis Summi authoritate quidquam agat.

D. Cyprianus nihil contra vicariam authoritatem Summi Pontificis, quin pro eadem agit.

EA porro, quæ pro dicta Vicaria authoritate Summi Pontificis ex Cypriâno allegamus, confidit Vindex, se posse refutare per ipsummet Cyprianum, sed quæ adducit nihil prorsus evincunt, quin contra ipsum & militant. Etenim,

Primus locus est ex Concil: Carthaginensi ubi Cyprianus ad Episcopos ibi congregatos sermonem habens initio statim inter alia ait: *neq; enim quispiam nostrum, Episcopum se esse Episcoporum constituit*, & post pauca. *Vnus & solus IESVS Christus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione; & de actu nostro judicandi.* In quibus prioribus præsertim verbis Vindex maximam vim reponit; ideoq; majuscula imprimi voluit. Sed benè poterat ipsemet sibi hæc solvere, si quod habuit dubium: nihil enim hic agit contra Primatum Pontif: Rom: nihil contra Vicariam potestatem ejusdem: sed cùm ad præsentes tum in illo Concilio collegas Episcopos sermonem dirigeret, ait, quòd *nullus illorum se Episcopum Episcoporum constituat*, seu, (ut colligere licet) nemo sibi arroget eam potestatem, quæ soli Romano Pontifici competit, cùm præsertim hanc illi in aliis locis haud deneget, quin adscribat, ut inferius videbimus. *Vnum* quoq; & *solum Christum habere potestatem judicandi*, ait scilicet absolutam, principalem, non autem relativam, subordinatam. vicariam, quæ ejus utiq; vicario communicata, id quod

id quod ex inde patet, quia pro ulteriore decisione ipse & cæteri Episcopi scripsère finito hoc Concilio ad Stephanum Papam quæ est Ep: 1. lib: 2. Epist: juxta Pamelium qui in Annot: ad ea verba. *Cum tua gravitate & conscientia conferendum fuit. Etiam hoc inquit, confirmat Papæ Rom: primatum, quòd cum illo conferant decreta sua, Patres Concilij, quorum hæ sunt literæ: more profectò cæteris conciliis usitato, non provincialibus modò, sed & universalibus, quæ à Romanâ sede confirmationem petere consueverunt.*

Secundum locum citat ex Epist: 74 ad Pompeium ubi ait *Stephanum Papam superba vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, imperitè, atq; improvidè scribere.* Verùm hæc à Cypriano scripta esse affectu nonnihil moto & irritato contra Stephanum Papam, eò quòd in ejusdem sententiam de rebaptisandis hæreticis nollet consentire, defendentem sese traditione Apostolicâ, & priscâ consuetudine, patet ex D. August: lib: 5. cont: Donatistas. c: 23. & c: 25. ut legere est apud prædictum Pamelium. *Iam illa*, inquit, *quæ in Stephanum irritatus effudit retractare nolo, quia & opus non est. Eadem quippè ipsa dicuntur, quæ jam satis discussa sunt, & ea præterire meliùs, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem & abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate eis manendum, qui diversa sentirent, ita quamvis commotiùs sed tamen fraternè indignetur; vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* Addit Pamelius. *Hactenus ille* [suple August:) *quæ prolixius citavimus, eò quod Antidoti sint locò, adversùs eos, qui hinc schisma suum à Romano Pontifice confirmare nituntur.*

Tertius locus est ex Ep: ad Quintum seu Quintinum Ep: 71. Ast sufficiant vindici, quæ ad hunc locum annotavit Pamelius, quo eundem, nè longus sim, unà cum veritatis amante Lectore remitto.

Insuper verò, quid hic S. Martyr de Ecclesia Romana senserit? quanta illi præconia dederit? videamus, ut palàm fiat, an veritati consentanea sint ea, quæ de illo confingit Vindex, dum ait: *quis non videt ex Cypriano penitùs destrui illam vicariam Magistram authoritatem Papæ, &c.* inpr: laudat ille eximiè fidem, & constantiam Cornelij Papæ, totiùsq; Ecclesiæ Romanæ Epist: 67. ad Cornel: dicitq; *hanc laudem virtutis & roboris firmatam, jam tunc in spiritu prævidisse Apostolum*, cum nim: fidem Romanorum prædicavit, textus hic cit: sup: cap: 9.

Ecclesia Romana radix & Matrix aliorum.

2. Vocat Ecclesiam Rom: *Radicem & Matricem. Nos* ait *singulis navigantibus, nè cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent.* Epist: 55. ad Cornel. P.

Romana Ecclesia Petri Cathedra, & principalis:

3. Ecclesiam principalem, & Petri Cathedram appellat, & cætera plura illi attribuit. *Post ista*, ait, *adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent & ad Petri Cathedram, atq; ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia non possit habere accessum.* Egregias porro annotationes ad hunc locum Pamelij nolo brevitati studens adducere. Testatur

4. Morem fuisse ut Romani Episcopi suam ordinationem omnibus Episcopis nuntiarent, quod utique non faciebant alij, nimirum ad demonstrandum primatum in Ecclesia tenere solos Episcopos Romanos. hinc ad Cor-

ad Cornelium P. ſcribens Epiſt: 42. ait, *quod autem ſcripta collegarum noſtrorum, qui illic ordinationi tuæ affuerant, deſideravimus non veteres mores obliti, novum aliquid quærebamus, nam ſatis erat, ut te Epiſcopum ſactum literis nuntiares.* Aſſerit.

Romani Pontifices ſuam ordinationem aliis Epiſcopis nuntiabant.

5. Eum cum Eccleſia Catholica communicare, qui cum Pontifice Rom: communicat ad Antonianum ſcribens Epiſt: 25. *ſcripſiſti etiam ut exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam noſtrum tranſmitterem & depoſita omni ſollicitudine jam ſciret te ſecum, hoc eſt cum Catholica Eccleſia communicare.* Ad quem locum Pamelius. *Certè*, ait, *vel hic locus confirmat Rom: Pontificis authoritatem.*

Is cum Eccleſia Catholica communicat, qui cum Romano Pontifice communicat:

6. Ait non debere communicare cum eo, qui ab Epiſcopo Romano ſe ſeparat Ep: 77. ad Stephanum P. de Martiano Arelatenſi qui Novatiano hæretico conſenſit. *Et cúm*, ait, *ad nos legatos miſiſſet* [ſcil: Martianus) *optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à Concilio plurimorum ſacerdotum, qui præſentes eramus ſententiam retulerit, ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrûm ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei judicio & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere & adulteram Cathedram erigere, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentaverit.*

Non debet communicari cum eo, qui ſe à Rom: Pontif: ſeparat.

Profanum altare & adulteram Cathedram erigit, quia à Rom: Pontif. diſſidet.

7. Comprobat Pontificem Romanum habere authoritatem & poteſtatem in alios Epiſcopos eo ipſo, quia præcitatâ Epiſtolâ, monet eundem Cornelium Papam, ut pro ſua authoritate, in locum Martiani Arelatenſis Epiſcopi, qui Novatiani ſectam ſecutus, multos ſeduxerat, alium ſubſtituat; Et lapſis ac per illum ſeductis pax & ad Eccleſiam reditus concedatur. Hinc agnoſcit utique eo ipſo majorem illi authoritatem fuiſſe Eccleſiam regendi, quia etiam Epiſcopos in locum aliorum ſubſtituendi,

Rom: Pontif: poteſtatem habet in alios Epiſcopos.

tuendi, quàm nulli Episcoporum tribuit, adeoq; primatialem authoritatem illi præ reliquis adscribit.

D Cyprianus significat Rom: Pontif: tanquam primatum habenti quid in synodo Africana constitutum

8. Quanta quoq; apud Cyprianum fuerit authoritas Pontif: Rom: testatur Epistola 54. scripta ab eodem nomine synodi Africanæ, quâ Cornelio Papæ tanquam Primatum inter Episcopos habenti significat quòd in synodo Africana constitutum sit ab Episcopis, omnibus lapsis, qui pænitentiam egissent, pacem dandam, ut fortiores essent, ad passionis prælium. Significat quoq; Stephano Papæ, quid cum collegis suis in Concilio quodam statuerint, de hæreticis ad Ecclesiam revertentibus baptisandis. Epist: 72. eo ipso ostendens eum esse Caput, & Rectorem Ecclesiæ ad quem talia deferenda. Quid quod.

Contemptus summi Pontif: & Cathedræ Apostolicæ causa initiumq; schismatum & hæresum.

9. Contemptum summi Pontificis & Cathedræ Apostolicæ schismatum & hæresum causam initiumq; asserat? Primò Epist: ad Cornel: p: 55. *neq; enim*, ait, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur cui si secundùm magisteria Divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotium collegium quidquam moveret, nemo post Divinum judicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo discidio unitatis Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens seorsim foris hæresim novam conderet &c.* Nè autem quis opponat Cyprianum hic loqui non de Summo Episcopo, sed de se ipso, & de quovis alio Episcopo, prævenit in suis annotationibus Pamelius præclarè & luculenter contrarium comprobans.

2. Manifestè idem loquitur Cyprianus lib: de unitate Ecclesiæ initio, postquam dixisset hæreticos *asserentes*

tes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiem sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Addit causam. *Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistra cœlestis doctrina servatur.* Idq; eum loqui de Cathedra Petri declarat sequentibus. *Probatio* inquit, *ad finem facilis compendio veritatis: loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claves Regni Cœlorum &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oves meas: super illum unum ædificat Ecclesiam suam & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum S. si cui remiseritis peccata, remittentur ei, si cui tenueritis tenebuntur; tamen ut unitatem manifestaret illis unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ authoritate disponit. Hoc erant utiq; & cæteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una, monstretur. Et pastores sunt omnes, sed Grex unus ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico Cant. Spiritus S. ex Persona Domini designat, & dicit una est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit? &c.* Quid hoc loco clarius pro primatu Cathedræ Petri & Ecclesiæ Romanæ

Super unum Petrum ædificata Ecclesia.

10. Ad hanc Ecclesiam etiam hæreticos confugere te-

re testatur Cyprianus, sed ab illa eorum errores detegi Epist: 55. ad Cornel: de quinq; Episcopis, de Numidia quod *Romam mendaciorum suorum more navigaverunt, quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certa probatione convinceret*, & ibidem, *post ista adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent & ad Petri Cathedram atq; ad Ecclesiam principalem &c.* vide reliqua sup: immediatè citata verba.

Ad Ecclesiam Romanam etiam hæretici confugiebant, à qua tamen eorum errores detegebantur.

11 Decreta & sancita, quæ authoritate Romanorum Episcoporum lata sunt, servanda esse Catholicis, secùs veritatem Spiritûs S. cum cæteris haud tenere, qui diversa sentit, declarat, Epist: 67. ad Alphanum P. *servandus est*, ait, *Antecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelij & Lucij honor, gloriosus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magìs tu frater carissimè honorificare. & servare, gravitate, & authoritate tua debes, qui Vicarius & successor eorum factus es: Illi enim pleni Spiritu Dei & in glorioso Martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem consueverunt & pœnitentiâ actâ fructum communicationis & pacis negandum non esse literis suis signaverunt quam rem omnes omninò ubique censuimus Neq; enim poterat apud nos esse sensus diversus in quibus unus esset Spiritus, & ideò manifestum est, eum, Spiritus S. veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diversa sentire.*

Decreta & sancita quæ authoritate Romanorum Episcoporum lata servanda

12. Ad extremum super Petrum ejusq; Cathedram Ecclesiam ædificatam esse testatur pluribus locis. Epist: 39. *Deus unus est, & Christus unus & una Ecclesia, & Cathedra una, super Petrum Domini voce fundata, aliud altare constitui aliud sacerdotium novum fieri propter unum altare, & unum sacerdotium non potest Quisquis alibi collegerit spargit &c.* Item Epist:55 ad Cornel: *P. Petrus super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens & Ecclesiæ*

Super Petram ejusq; Cathedram Ecclesiam ædificatã asserit D. Cyprianus pluribus locis

Ecclesiæ voce respondens ait. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* Item Epist : 69. ad Florent: Pupianum postquam adduxisset verba Petri : *Domine ad quem imus &c. loquitur* ait *illic Petrus super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens* [addo hæc verba de industria ut pateat quid Ecclesiæ nomine intelligat S. Cyprianus) *& ostendens quia etsi contumax aut superba obaudire volentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit & illi sunt Ecclesia; plebs Sacerdoti unita, & Pastori suo grex adhærens v.* ibidem plura de hac re. Item Epist: 70. ad Januarium. Post quam dixisset, quòd *hæretici & schismatici, utpote foris constituti Spiritum S non habentes non rectè baptisant* dans rationem ait, *Quando & baptisma unum sit, & Spiritus S. unus & una Ecclesia à Christo Domino super Petram origine unitatis, & ratione fundata.* Item Epist· 71 ad Quintum, quem etiam locum citat Vindex ait de Petro *quem primum Dominus elegit & super quem ædificavit Ecclesiam suam.* Item Epist : 73 ad Jubaianum. *Petro primum Dominus super quem ædificavit Ecclesiam suam: & unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlo, quod ille solvisset in terris.* Item Epist: 75 ubi etsi quidem redarguitur Stephanus nolens consentire ad baptismum hæreticorum redeuntium ad Ecclèsiam, nihilominus attribuit S: Petro, quod super illum Ecclesia sit ædificata *se* [ait supple Stephanus) *Successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt.* Item de unitate Ecclesiæ locùs hìc immediatè citatus. Item lib: de Exhortatione Martyrij cap: XI. ait de Ecclesia Catholica non alia quàm Romana. *Cùm septem liberis planè copulatur* (attendit ad illas septem mulieres, quæ unum hominem apprehenderunt Isa. 4.) *& Mater, origo, & radix quæ Ec-*

clesias septem postmodum peperit ipsa prima & una super Petrum, Domini voce fundata.

Quid ad hæc noster Vindex? veritati nè consentaneum effatus illud *ex Cypriano penitus destrui vicariam, Magistram authoritatem* Papæ &c: Num adhuc veritatis se reum negabit?

CAPUT XIV.

An Tertullianus eidem Vicariæ authoritati Summi Pontificis adversetur?

Nihil Vindex ex Tertulliano contra potestatem vicariam Pontif Rom. evincit, quin ostenditur quod is pro illa stet.

VErùm ad confirmandam suam contradictoriam propositionem, negantem potestatem Vicariam, adducit antiquiorem Cypriano Tetullianum de præscript: ubi impr: committit ignorantiam Elenchi, de quo Tertul: tractat: neq; enim ille de hoc agit, quod innuit Vindex, quòd scil. *possessionem scripturarum, contra præfractos hæreticos ad traditiones non scriptas provocantes probare contendat.* Quin hoc agit, quòd cum hæreticorum mos sit ex script: disputare; nullo modo *admittendi sint ad disputationem ex scripturis* cap: 15. cujus causam reddit.

1. Quia ita censuit Apostolus cap: 16
2. Quia *nihil proficit hæc disputatio* cap: 17.
3. Quia *facit ad subversionem audientium* cap: 18.

Non ad scripturas sed Ecclesias Apostolicas recurrendum contra hæreticos docet Tertullianus

Hinc tandem concludit cap: 19 *Ergo non ad scripturas provocandum est &c. Sed quibus competat fides ipsa? cujus sint scripturæ; à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani?* unde tandem c: 12. *Hanc* ait, *dirigimus præscriptionem*: nimirum *quòd ab Apostolis prædicatum sit aliquid, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam vivâ, quod ajunt voce, quàm per Ecclesias postea.*

2. Thes:

2. Thes: 2. & paulò pòst, *Superest ergo, ut demonstremus an hæc nostra doctrina, cujus Regulam supra edidimus de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso in cætera de mendacio veniant?* Ex quo & ex sequ: patet Tertullianum non id egisse, quod supponit Vindex. Citat ille deinde textum ex cap; 36. quo probat, *illas solas Ecclesias esse veras quæ Apostolicarum Ecclesiarum fidem retinent*, & quia inibi ultimo loco ponit Romanam, tales noster Vindex cum quodam ante victoriam triumpho & ovatione instituit quæstiones. *Cur ultimo loco Romanam adducit Ecclesiam? & cur non eam unam adducit? sed manifesto sunt hæc indicio, compendium illud quod Scrutator in una magistra vicaria authoritate Romanæ Ecclesiæ exhibet, esse planè novum & ignoratum Apostolicis primisq́; seculis.* Sed falli Vindicem hac suâ opinione patet.

1. Nam si ádvertimus penitiùs ad vim argumenti Tertulliani. Illud certè probat manifestè etiamnum solam Romanam Ecclesiam & fidem esse veram. Sic enim argumentatur. Illæ *Ecclesiæ apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, censendæ sunt vere Apostolicæ Ecclesiæ.* atqui sola Romana Ecclesia defacto est apud quam *ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, authenticæ literæ eorum recitantur.* Ergo sola Romana Ecclesia defacto est verè *Apostolica Ecclesia.* Major est ex ipsis Tertulliani verbis. Minor etiam ex eodem plana fit: ait enim *proximè est tibi Achaia, habes Corynthum, si non longè es à Macedonia habes Philippos, habes Thessalonicenses; si potes in Asiam tendere habes Ephesum.* Nimirum, in Achaia Corynthus, in Macedonia Philippi, Thessalo; in Asia Ephesus, Ecclesiæ fuêre in quibus Apostolus Paulus Cathedram fixit, quibus suas literas scripsit;

Ecclesia Romana verè Ecclesia Catholica ex Tertull. probatur.

psit; fuêre quidem illæ tam diu Apostolicæ Ecclesiæ, quam diu eandem fidem quam acceperunt à Paulo tenuêre; sed jam dici Apostolicæ nequeunt, cùm constet illas cum schismate Græco defecisse, & non jugo solùm Turcico, sed & tenebris errorum, & ignorantiæ subjectas esse, sola autem Romana Ecclesia est apud quam *Apostolorum Cathedræ* non Romæ duntaxat, sed & in plurimis orbis locis *præsidentur, apud quas authenticæ literæ* leguntur. Ergo hæc sola defacto est Apostolica Ecclesia. Unde jam

2. Idem probatur; quia etsi ultimo loco Tertull. ponat Ecclesiam Rom: nihilominùs, quia ei tanta tribuit elogia, quanta nulli alteri; magnificè de ea sensisse Tertullianum, & agnovisse Ecclesiam principalem, existimandum. Non omne quod ultimo loco ponitur, postponitur reliquis: quin in enumeratione partium, vel inductione rerum aut personarum, ea potissima est, etsi ultimo posita, quæ egregia meretur encomia, & suo gaudet præ cæteris honore: Romanam igitur Ecclesiam Tertull: ultimo quidem loco nominat, sed cum quantis laudibus, perspicuum est. *Habes* inquit ille, *Romam unde nobis quoque authoritas præsto est, nobis inquam* (ut habet Annotatio Pamelij. *Iam Catholicis omnibus, aut certe Africanis, quâ nempe nostras Ecclesias defendimus. Quare rectè Quintinus. Ecclesiæ Rom inquit mox ut instituta fuit authoritas, ante omnes & per omnes æquè gentes maxima semper extitit, etiam gentium Regibus, quos persecutores habebat, eidem multum deferentibus* vide ibidem plura. *Habes* (inquit adhuc Tertull: de Rom: Ecclesia) eam *quæ statu felix Ecclesia* Insigne [inquit Rhenanus in annot: apud Pamelium) *Epiphonema & magna laus Ecclesiæ Romanæ quam omnes veteres summe sunt venerati. Statu* certè *felix,*

quo

quo per mille Annos & tot secula contra tot Ethnicorum Persecutorum, Schismaticorum, Hæreticorum, impetus, & tempestates inconcussa consistit. *Habes* [inquit porro Tertull:) Romam *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Gemina his habet lib: 4. adv: Marc: *Quid etiam Romani in proximo sonant? quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoq; suo signatum reliquerunt.* Profuderunt Romæ Apostoli cum sanguine doctrinam' ut nim: illo irrigata, tantò uberiùs hæc cresceret, insignes fructus ederet, atq; per totum orbem propagaretur. *Habes* inquit, *Romam ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in Insulam relegatur.* Quanta hæc sunt Romanæ Ecclesiæ Encomia? quid hæc aliud testantur, quàm quod Tertul: senserit Romanam Ecclesiam Primatûs super omnes alias Ecclesias, gaudere prærogativâ, Quod ipsum patet.

3. Etenim lib: de pudicitia scribens de Pontifice Romano mæchos, & adulteros post pœnitentiam absolvente cap: 1. *Audio esse edictum propositum & quidem peremptorium: Pontifex scil: maximus Episcopus Episcoporum dicit Ego mæchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.* Ergo ex Tertull: sic argumentari licet. Ecclesia quæ habet *Pontificem maximum Episcopum Episcoporum* habet simul primatum supra reliquas Ecclesias: Ecclesia Romana habet *Pontificem maximum Episcopum Episcoporum* ergo &c.

4. Idem confirmatur ex cap: 32. de præscript: ubi cæteras Ecclesias provocat ut *origines suas edant, evolvant ordinem suorum Episcoporum, ita ut per successiones ab initio decurrente; ut primus ille Episcopus aliquem ex Apost: vel*

Apostolicis viris habuerit autorem & antecessorem Eph: 2. tandemq; pro exemplo adducit Eccles: Rom: *Sicut Ecclesia Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit &c.* Unde sic arguere possumus pro primatu Ecclesiæ Romanæ. Ecclesia, quæ præ cæteris *evolvit ordinem suorum Episcoporum &c.* primatum sup: cæteras obtinet. Atqui Romana Ecclesia talem ordinem evolvit præ cæteris Ecclesiis. Ergo. Major est Tertul: Minor patet: Quia nulla Ecclesia talem Episcoporum ordinem domonstrat atq; Romana. Non quæ in Oriente; quia defecêre per schismata, non quæ in Occidente, nam quæ unitæ cum Rom: ad eundem ordinem recurrunt, quæ non unitæ ab illo recesserunt ac schismate facto interruperunt. Reum itaque & hîc se veritatis Vindex fateatur.

CAPUT XV.

An hæc Vicaria Anthoritas illegitimè probetur à nobis ex illo Matth: XVI. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

FUndamentum adhuc Vicariæ Magistræ Authoritatis Petro & ejus successoribus communicatæ ex illo Matth: 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, subruere nititur Vindex non sine pseudologia dicens, nos *contra apertam veritatem splendidè nugari*: & hoccine est apertam veritatem propugnare? Ad quod ex Cypriano citat quòd scil; *pari consortio præditi & honoris & potestatis sint cæteri Apostoli cum Petro*, non tollit quin Petrus singularem præ reliquis & extraordinariam potestatem à Christo acceperit illis verbis. *Tu es Petrus*, utpote

utpote singulariter & extraordinem aliorum ad Petrum solum directis, id quod manifestè omnes ferè SS. Patres agnoscunt, & ipse Cyprianus, ut patet ex dictis supra. Quid quod citato loco Cypr: manifestè addat, quæ subticuit Vindex, numnè simplici & Laconico stylo in seipsum injurius reusq; foret? *Primatus Petro* ait Cypria: *datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur. Quamvis* [porrò ait Vindex) *igitur negari non possit nonnullos Patres per Petram intellexisse ipsum Petrum, tamen non respexerunt ad Personam Petri; sed ad confessionem.* Hic necesse est ut Respondens animo pacato advertat ad ea, quæ diximus in D. Chrysost: à Lutheranismo vindicato controv: XIII. *de primatu Petri* ubi ostendo quòd hæc confessio seu fides Petri non debeat sumi absolutè & simpliciter, sed cum relatione ad ipsum Petrum & quidem Petrum non ut hominem privatum & particularem personam, sed ut erat pastor, princepsq; Ecclesiæ futurus, adeóq; à Christo Domino Ecclesia sua non super fidem Petri, ut particularis personæ, & privatæ; sed ut personæ publicæ quæ nimirum esset pastor & caput ejusdem Ecclesiæ, fundata est. Et hoc sensu intelligendi sunt SS. Patres, quando dicunt super confessionem seu fidem Petri Ecclesiam à Christo ædificatam, id quod ex eodem D. Chrysost: fusiùs deduco. Idq; etiam confirmat D. Hieronym: citatus à Vindice lib: 1. adversus Jovin: ubi postquam dixisset, quòd *ex æquo super Apostolos Ecclesiæ fortitudo solidetur*, addit; *tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis occasio tollatur.* Hoc ipsum confirmatur ex eodem lib: 1. Dial: adver: Pelag: c: 14: Ut *Plato princeps Philosophorum, sic Petrus & Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Dei stabili mole fundata est.* Item Ep: 54. ad Marcellum. Item in cap: 16 Math.

Quo sensu in confessione Petri Ecclesia à Christo D. ædificata.

ut

ut porro rei suæ fidem aliquam faceret Vindex, Barradium in testem vocat. *Barradius inquit, quid nomine Petræ hoc loco intelligendum sit, ambigitur*, & adducit Hilarium, & alios SS Patres qui per petram intelligunt confessionem seu fidem confessionis, Sed & hoc ipso dicto reum se veritatis, reddit noster Vindex. Nam si reliqua citasset quæ hic Author dicit, veritas in lucem prodiisset. Addit enim: *germanus perspicuusq; sensus est, quod Petra Petrum significet, id quod manifestissimè ipsa verborum flagitat structio.* Idq; ipsemet fusiùs probat ex SS. Patribus deducens & probans. *Petrum esse Petram, & fundamentum Ecclesiæ* ex Hilar: Chrysost: Ambros: Aug: Greg: Nazian: Basil: Epiphan: Orig: Hippol: Tertul: Hieron: Cypriano &c. unde etiam patet Petro non tantùm *prærogativam & potestatem ordinis, & ætatis sed etiam jurisdictionis veteres PP attribuisse.* Nec verò, *Patribus, Petram Petrumq; asserentium auctoritas aliorum Patrum* præponitur ut ait Vindex; si præsertim intelligatur, quo sensu dixerint supra confessionem, seu fidem Petri ædificatam Ecclesiam, quem supra immediatè exposuimus.

Rationibus nostris neminem moveri putat Vindex, quia nimirum ipsimet iis moveri haud allubet, non defuêre tamen, nec desunt qui moveantur, fiet id adhuc palam orbi, & tandem *dies Domini docebit.* Nec verò & Magdeburgensis vindicavit à reatu: Etenim etsi per secula SS.PP.citent, *qui successionem Romani Pontificis in primatu Petri* asseruêre, nihilominus tamen perfrictim eidem obnituntut, nihil tantam Patrum authoritatem pensi habentes, ut patet ex dictis ibidem. Hoc enim ipso patet, sensum illius primæ Ecclesiæ esse eundem qui & nunc est præsentis.

C A-

CAPVT XVI.

An Vindex rectè Probet Papam repugnare D. Petro?

ANtequam concludat; addit: *frustra* nos (inquiens de se & sua Ecclesia) *accusare desertores Petri, cum hujus Apostoli nos multò retinentiores simus, quam Pontificij, nec facies Petri in Papis Romanis appareat.* Egregiam certè laudem sibi vendicat, nisi cum veritate repugnaret, *An Papa adversetur S: Petro?*

1 *S. Petrus, ait, se Sympresbyterum vocat* 1 Epist: VI. *at Papa Romanus Oecumenicum*; sed ubi se negat primnm Apostolum & Pastorem. Caputq; Ecclesiæ constitutum? S Joannes Baptista se etiam profitetur esse *vocem clamantis in deserto.* Ergonè se negat *Prophetam & plus quàm Prophetam*, Præcursorem Domini, quin, quo *non surrexit major inter natos mulierum?* Paulus se *blasphemum, Persecutorem, & contumeliosum* nominat Gal: I. 13 I. Tim: I. 13. Ergonè negat se fuisse *vas electionis Doctorem Gentium? &c.* Christus Dominus in Evangelio passim se *hominis Filium nominat*, Ergonè negat se esse Filium Dei? nimirum modesti animi nota est, exiles sibi attribuere titulos, altiores celare, qui tamen alieno ore prædicantur. Hinc *vocem*, se vocat solùm, Joannes, sed à Christo *Propheta, & plùs quàm Propheta, majorq; omnibus natis mulierum*, non sine insigni, supra omnes panegyri audit. Paulus se *blasphemum* priùs *persecutorem & contumeliosum* ingenuè fatetur, sed à Christo D. *vas electionis* habetur. Filium hominis, se dicit Christus, at voce cœlitus delapsâ, Filius Dei Patris, denuntiatur: scilicet & Petrus se Sympresbyterum solùm appellat; verùm à Christo D à tot SS. Patribus totâque Ecclesiâ bene sentiente, *Primus Apostolorum, Petra, Caput*

& fundamentum Ecclesiæ pronuntiatur. Titulum Oecumenici in Patriarcha Constantinopolitano, non Romano, *notam Antichristi* Gregor: M. asseruit.

2. *Petro, ait, erranti poterat contradici, at Papæ Romano nequaquam*: ad quod probandum allegat Textum ex disp: XII. c: Si Papa. Sed & hîc Vindex reus in Divum Petrum, cujus tamen Apostoli paulò ante se multò retinentiorem jactitabat, deprehenditur. Frustra enim erroris accusat Petrum, legat ea de re Tertul. de præscript: ut alios SS. PP. taceam, inveniet egregias D Petri vendicias c: 23. ubi contra similes Petri sugillatores demonstrat, quòd Petri per Paulum reprehensio *non prædicationis fuerat, sed conversationis*. Et c: 24 *quòd temporibus & causis, quædam reprehenderit Paulus, non quòd esset instructior*. Ubi etiam declarat, quòd, *in quo Petrum arguebat Paulus, in eodem & ipse potuisset à Petro reprehendi, quod prohibens circumcisionem* Gal: 6. *circumciderit ipse Timotheum* Actor: 16. additque Epiphonema dignum notatu: *Viderint qui de Apostolis judicant! Quid porro dissonum rationi, quòd Papæ Romano non debeat, nec possit contradici* in rebus præsertim quæ spectant ad Regimen & statum Ecclesiæ universæ, circa quas eum nullo modo errare confidimus: cùm Paulus præcipiat obedire & *subjacere præpositis* Hebr: 14. 17. *principibus & potestatibus subditos esse*, eorumq; dicto obedire. Tit: 3 1. *omnem item animam subditam esse debere potestatibus sublimioribus, & qui potestati resistit, ipse sibi damnationem acquirit* Rom: 13. quid quòd & D Petrus hortetur ad eandem subjectionem Christianos 1. Epist: c: 2. 13 14. quod etiam sup: attactum.

3 Ait *Petrus subditos volebat teneri sub obedientia etiam illius Magistratûs, qui infidelis erat, sibiq; adversarius* Cit: immed: Loc: *Ast Papæ in tali casu subditos solutos volunt à jura-*

juramento fidelitatis. Hic sanè etiam in se ipsum, reatum, committit Vindex noster, si enim hoc antecedens verum est; subsumere debet. At *Magistratus Papæ* per Vindicem est infidelis *sibiq; adversarius.* atq; hinc concludere; Ergo *Petrus volebat subditos teneri sub obedientia Papæ Magistratûs.* Huic verò cum contrarium faciat, qùi non in se ipsum reum agnoscamus, quòd cùm Apostoli Petri retinentissimum se dicat, minimè tamen ejus doctrinæ obsecundet in obedientia præstanda Papæ Præcipuè quia ibi S Petrus monet: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Quia sic est voluntas Dei.* Atqui Papa est *humana creatura* Ergo Petrus monet & vult etiam Vindicem subjectum esse Papæ. Unde quæro ex Vindice, Quare is non est subjectus Papæ? Quare non est sub obedientia illius? respondebit id quòd passim responderi solet ab adversarijs, quia est *infidelis,* quia *adversarius suæ doctrinæ.* Er: non est retinentissimus Petri Apostoli, quem inquit *voluisse subditos teneri sub obedientia etiam illius Magistratûs, qui infidelis est, & sibi adversarius.* Deinde ibid: D Petrus nihil agit de tali Magistratu à cujus obedientia solutos vult subditos, Papa, neq; enim vult solutos esse ab obedientia & fidelitate Magistratûs infidelis simpliciter & absolutè, sed cum addito: talis nimirum Magistratûs, qui subditos ad suam infidelitatem vi adigere vellet. vel imperare quidpiam, quod repugnaret legi altiori Divinæ. Et tali quidem, ipsa etiam ratio dictat, non debere præstari obedientiam: esset enim in perniciem animæ subditi fidelîs in infidelitate, aut quacunq; aliâ lege, repugnante Divinæ obedire. In tali casu certè præ oculis habendum illud Domini dictum, *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentũ patiatur?* vel, *Quam dabit homo commuta-*

tionem pro anima sua? Unde & S. Petrus cum à *Magistratu Templi, Sacerdotibus & Sadducæis prohiberetur, nè doceret in nomine IESV*: respondit una cum Joanne *& dixerunt ad eos; si justum est in conspectu Domini vos potiùs audire, quàm Deum judicare?* Actor: 4. 19. Ipse quoq; tam diu fuit subjectus Neroni Imperatori infideli, quamdiu eum non adigebat ad cultum suorum Deorum & abnegationem Christi, quem semper *Filium Dei* vivi prædicabat. At postquam ad suam à Nerone infidelitatem vi pertrahi se animadvertit, maluit cruci affigi pro Christo, quàm contra Christum, impio ac nefario Principi parere. Id quod semper fideles in Ecclesia faciebant. Hinc tam copioso sanguine Martyrum irrigatus est ejusdem fertilis Sanctorum ager. Unde Vindex noster convincitur reus & ignorationis Elenchi, & quæ hinc subsequitur paralogismi.

Deniquè retinentissimum se authoritatis Petri vel ex eo ait; *quia* inquit *strictissimâ observantiâ amplectimur & profitemur Regulam ab ipso propositam.* 2. Ep:1. *Firmiorem habemus sermonem propheticum &c.* Sed hunc locum fusiùs trutinavimus superiùs Num: XI. manifestèq; Vindicem veritatis reum declaravimus.

CAPUT XVII.

In quo potiùs Vindex cum suis D. Petri retinentissimus esse deberet, velut intento digito demonstratur.

QUin si voluisset probare se & suam Ecclesiam verè esse retinentissimos Apostoli Petri, debuisset ac deberet etiamnum.

1. Ser-

1. Servare *charitatem ac unitatem cum Ecclesia Romana* quam tantopere commendat D. Petrus 1. Ep. 1. 22. *Animas vestras justificantes in obedientia charitatis, & fraternitatis amore simplici ex corde diligite attentius* & Cap: 3. *In fine autem omnes unanimes, compatientes fraternitatis amatores* & Cap: 8. *ante omnia autem mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum* & 2. Ep: c: 1 7. *Ministrate* in pietate, amore fraternitatis, *in amore autem fraternitatis charitatem.* Quæ autem charitas? quis amor fraternitatis in Vindice? qui tam in Cathedra, quàm scriptis editis Eccles: Romanam atq; in ea degentes proscindit, nescio cujus idolatriæ insimulat, tot crimina falsi impingit, id quod vel ex supra allatis manifestè patet. Unde

In quo Vindex cum sua Ecclesia retinentissimus, D. Petri esse deberet ex eodem D. Apostolo demonstratur.

2. Si est retinentissimus Apostoli Petri, debet cum suis *deponentes omnem malitiam, & omnem dolum & simulationes, & invidias, & detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscere* 1. Ep: c: 2. 1. *nec deberet reddere malum pro malo, nec maledictum, pro maledicto* Ibid: c: 3 8. Multò minùs malum pro bono, cùm præsertim bono non malo animo, & absq; omni maledictione Dissidentes, in viam veritatis reducere, omni studio satagamus.

3 Deberet cum suis subijci & obedientiam præstare S. Matri Ecclesiæ, *quasi filij obedientiæ* 1. Ep. 1. 24. *in obedientia charitatis*, ut sup: dictum est.

4. Deberet meliùs sentire cum D. Petro de bonis operibus, siquidem ad illa adhortans ait: *Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hoc enim facientes, non peccabitis:* quin addit per illa etiam *cœlum promereri posse. sic enim*, ait, *abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum*

gnum Domini nostri & Salvatoris IESV Christi. 2. Ep. 1 10.

5. Deberet quoq; melius sentire de Sanctis post hanc mortem in cœlo cum Deo regnantibus, quod nostri non obliviscantur, quodque nostri coram Deo curam habeant. ait enim ipsemet de se ipso. *Dabo autem operam & frequenter vos habere post obitum meum, ut horum memoriam faciatis* Ibid: 15.

6. Deberet de S. scriptura sentire, quòd non sit ita per se clara & dilucida, ut cuiq; pateat, & proinde non indigeat interpretatione altioris authoritatis nim: Ecclesiæ per Spiritûs S. assistentiam edoctæ. Etsi enim vocet scripturam *lucernam lucentem*, addit tamen, *in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris*, scilicet per doctrinam & interpretationem, non propriam alicujus privati hominis. Nam ait: *Hoc primum* (scilicet tanquam præcipuum, & principale, in quo plurimùm consistit ratio veræ fidei & doctrinæ) *intelligentes quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* datq; hujus rationem; *non enim voluntate humanâ, allatâ est aliquando prophetia* [adeoq; nec sensus & interpretatio illius] *sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, simili quoque modo Spiritu S. inspirati Sti Dei homines in Ecclesia eandem sunt interpretati, quales fuêre SS. primi Ecclesiæ Patres & Doctores, quos admittit, & sequitur Ecclesia Romana, tanquã Magistros & interpretes mentis Divinæ in scriptura latentis, quos hoc sensu reijcit Vindex, solùmq; admittit in quantum cum scriptura concordare eos, ipse cum suis, proprio sensu judicat. Quod non est intelligere & explicare scripturam juxta sensum SS. Patrum & Doctorum, sed ipsam scripturam S. & SS. PP. ac Doctores ad proprium sensum velle pertrahere, judiciumq; ferre de SS. Patribus & Doctoribus

ctoribus, an? & ubi rectè sensum Sacræ script: sint assecuti? De hac quoq; non plenâ charitate, atq; difficultate intellectûs scripturæ testatur 2. Ep: vult c: loquens de Epistolis Sancti Pauli *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

7. Deberet recedere ab illa erroneè præconcepta opinione, quòd cùm Christus D pro nostris peccatis satisfecerit passione & morte suâ, nos non teneamur ad satisfactionem pro peccatis in Christo & cum Christo faciendam, sitq; hæc nostra satisfactio nulla. S. Petrus enim aliter sentit, cui Romana Ecclesia consentit. Pro fundamento enim hujus de satisfactione Doctrinæ ponit S: Petrus hoc, quod per fidem *accedentes ad eum* [supple Christum] *lapidem vivum & ipsi tanquam lapides vivi super ædificamur Domus spiritualis sacerdotium sanctum, ad offerendas hostias spirituales acceptabiles Deo per IESVM Christum* 1. Ep: 2. 4. & sequ: Nimirum superædificati lapidi vivo Christo, ipsi lapides vivi per fidem, spem, & charitatem formatam, & firmatam, efficiunturq, fideles *Domus spiritualis & sacerdotium sanctum* ad offerendas spirituales hostias, non tantùm pacificas, sed etiam placatorias, & satisfactorias, offerendo *dona pro peccatis*, quæ utiq; hostiæ sunt *acceptabiles Deo*, & non aliter quàm *per IESVM Christum*; in illo enim, & cum illo, & per illum tanquam lapidi vivo, lapides vivi uniti glutine fidei, spei, charitatis, omnia bona agunt, adeoq; etiã faciunt satis pro peccatis Unde etiã hortatur Ep: I c: 4 I. *Christo igitur in passo Carne*, & vos eadem cogitatione armamini, scilicet, ut & nos patiamur & satisfaciamus pro peccatis nostris, & paulò post ait: *communicantes Christi passionibus gaudete*; nimirum Christi passionibus communicamus, quando propter

Chri-

Christum, & in, cum, & per Christum aliquid patimur, Si *exprobramini*, inquit, *in nomine Christi, beati eritis.*

9. Deniq; si retinentissimus Vindex cum suis, Apostoli Petri esse exoptat, debet bene animum reflectere ad illam characteristicam & notam Pseudo-Prophetarum & *Magistrorum mendacij, qui* ait *introducent sectas perditionis* quam describit 2 Epist: 2. ubi an non vivis planè coloribus depictum Lutherum & cæteros cum eo novarum sectarum in Ecclesia authores cernere liceat, judicet vel ipse Vindex deposito partium affectu? Hæc si præcipuè Vindicem cum D Petro tenere, ad illaq; animum advertere lubuerit, tum demum hanc illi concedemus laudem, quod verè retinentissimus sit Apostoli Petri.

CAPVT XVIII.

Conclusio Vindicis ipsimet in stimulum ad unionem cum Ecclesia Catholica Romana cedit.

Conclusio Vindicis ipsimet stimulus ad unionem cum Ecclesia Catholica.

COncludit tandem Vindex vindiciarum suarum præcipuum fundamentum reponens non tam in Laconico, quàm aculeato styli genere, cui & Colophonem imponit dicens: *Intelligat igitur Scrutator si scrutinio suo quibus tantopere sibi placet opiniones adimat, & luxuriantis calami verbosam licentiam, nihil esse, quod solidi fundamenti rationem habeat.* Sed judicet prudens Lector, quin ipsum Vindicem judicem constituo sui tam aculeati epiphonematis, *neq; nos* [addit] *adeo ab omni conscientia remotos existimet ut cœco quasi impetu sequamur ductum nostri ingenij in causa tam ardua, quæ religionis est. Paulus est quem audimus, licèt, aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis præterquam, quòd*

Evangelizavimus vobis, anathema sit Galat: 1.8. At verò hoc ipsum est quod de se profitentur Calviniani, quod & Socinistæ, & Mennonistæ, & Quakeri sibi attribuunt. *Quis enim horum est qui se ab omni conscientia remotum, aut cœco impetu, ductum sui ingerij, in causa tam ardua Religionis, sequi fateatur?* In tanto proinde concursu Religionum, unicam veritatem à Christo D. Apostolis traditam, ab Apostolis Ecclesiæ Evangelizatam, & tanquam *pretiosum depositum* relictam, quis non jure meritissimo scrutetur, & inquirat? Quænam videlicet illa omnium est verè una, sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia, Orthodoxæ fidei custos, & Magistra? Id quod à nobis tanto studio & conatu urgetur, nec à quoquam Dissidentium ad contentationem, & satisfactionem, veritatem perscrutantis animi respondetur, quod tum hîc, tum in libra veritatis declaravimus. *Si pro ratione Statûs* [subjungit insuper Vindex] *Religioni inserviendum putaremus, studia Curiæ Romanæ faciles amplecteremur; sed extrema nos terret vox Iudicis* Ioan: 12 46 *Qui spernit me & sermonum meum non accipit, jam habet, qui eum judicet.* Quin pro ratione statûs non temporanei, sed æterni, non Curiæ ac politiæ terrenæ, sed cœlestis, salutaria Romanæ Ecclesiæ studia Vindici, & omnibus Dissidentibus facilè amplectenda forent, si præsertim apud se perpenderent id quod asserit D, Cyprian: unit: Eccles: sup: cit: *unam esse Eccles: Spiritus S. in Persona Dei designat Cant: 6 una est columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ Hanc Ecclesiæ veritatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Perpendat & id, quod D. Hieron: de se ipso testatur ad Damasum P. scribens. *Ego nullum primum nisi Christum sequens,*

beatitudini Tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc Domum Agnum commederit, profanus est: Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio &c. non novi Vitalem, Meletium *respuo, ignoro Paulinum: quicunq; tecum non colligit, spargit.* Epist: 52. ad Damas: *Ego interim clamito, si quis Cathedræ jungitur, meus est.* Ep: 58. ad Damasum. Nunquid hæc à Hieron: prælata pro ratione status religionis inserviente? Quin quale idem Vindici consilium præbeat audiamus: *Brevem tibi apertamq; animi mei proferam sententiam: in illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata Eph. 2. usq; ad hanc diem durat* [qualis præ cæteris sola Romana] *sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Deo IESV Christo; sed à quoquam alio nuncupari, ut Marcionistas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi, Synagogam, ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant. Quos futuros Apostolus pronuntiavit 1.* Tim: 4. Contra Lucifer circa fin: Perpendat & illud, quòd D. August: inquit: *Dubitamus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, frustra Hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit, cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ* Lib: de util: cred: ad Honor: c: 17. Meritò terreat universos spernentes Ecclesiam Christi, sermo Domini, dicens, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Et, Qui non audierit Ecclesiam: sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Hoc verbum sequatur Vindex *nec cum vita etiam ipsa commutet.* Nam hic sermo quem locutus est Dominus, de Ecclesia sua audienda, nec spernenda, verè *judicabit eum in novissimo Die.* Ioan: 12. Ad hoc propositum, ut Vindici & omnibus Diffidentibus det *velle* Dominus,

atq;

atq; cum *velle* tribuat & *perficere*, oramus ardenter, & ſuppliciter; ut ita ipſe unà & omnes alij, cum Chriſto Domino *unum ſint*, in unitate fidei & Eccleſiæ Catholicæ, ſicut Pater in Chriſto, & Chriſtus in Patre, ut & ipſi in Patre & Filio *unum ſint*, hìc, & in cœlis in unitate *Spiritûs Sancti, Spiritûs veritatis, & unitatis*. Et tunc noverit Vindex veritatis, reus, à nobis declaratus, ſe ab omni reatu abſolvendum, atque indulgentiam plenariam conſecuturum, verèque ſanctificandum in veritate; *Verbum enim Domini veritas eſt in æternum manens. Qui non audierit Eccleſiam ſit velut Ethnicus & Publicanus.*

* * *




Dąbrowski Na Vlicy [illegible] Podhaleckiey [illegible]

Szreniawskiego dworek

[illegible] Stanisłaus [illegible]

Stanisłosius






Biblioteka Jagiellońska
stdr0009196